

BX  
3645  
.Y8  
B6  
1867  
IMS





Digitized by the Internet Archive  
in 2011 with funding from  
University of Toronto

<http://www.archive.org/details/schematismustopo00fran>

# SCHEMATISMUS

TOPOGRAPHICO = HISTORICUS

CUSTODIAE PROVINCIALIS

ET

VICARIATUS APOSTOLICI

IN

HERCEGOVINA

SUB

REGIMINE SPIRITUALI

FRATRUM MIN: OBSERV:

SANCTI FRANCISCI

PRO

ANNO DOMINI 1867.



SPALATI.

TYPIS ANTONII ZANNONI

1867.


Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.

*Eccl. 44*

---

Perdius et pernox memorias revolve, scrutare gentis tuae incunabula! res gestas et annalium monumenta observa: *turpe enim est in patria sua peregrinum esse.*

*Cassiodorus.*



# REVISORUM TESTIMONIA.

**E**go infrascriptus legi opus, cui titulus est — Schematismus Topographyco — Historicus — ab Admod: Rendo; **P. Petro Bakula** confectum; nihilque in eo Fidei Catholicae, aut bonis moribus contrarium deprehendi. In quorum fidem.

Datum Mostarini 12 Martii 1867.

Fr. NICOLAUS ŠIMONOVIĆ

Lector Generalis Theologiae

Revisor m. p.

---

Ex Commissione A. R. P. Custodis Provincialis PETRI KORDIĆ perlegi Opusculum — Schematismus Topografico — Historicus — compositum ab **A. R. P. Petro Bakula**, ex Custode Provinciali; in quo nihil Fidei sanisque morum principiis contrarium reperi; quinimo utpote laudabili amoris patriae studio concinnatum, non modice utilitati, ac ejusdem Patriae nostrae celibritati profuturum. Idecirco quod typis mandetur dignum censeo.

Datum in Sirollibrig die 17 Martii 1867.

Fr. PASCHALIS BUCONJIĆ

S. Theologiae Lector Generalis m. p.

FR. PETRUS KORDIĆ Ordinis Min. S. P. N. Francisci, olim  
Concionator, ex Magister Novitiorum; et ad praesens Custos Pro-  
vincialis Custodiae Hercegovinae et humilis in Domino Servus.

## Decretum

Cum opus, cui titulus = Schematismus Topografico =  
Historicus etc. = et nostra commisione ab Admodum R Patre  
**Petro Bakula**, Sacrae Theologiae Lectore Generali, jam Dis-  
creto Custodiae, ex Custode Provinciali, et Vicario Generali  
Episcopali, compositum, et a duobus Theologis jussu Nostro  
revisum fuerit, ac in lucem edi posse recognitum; vigore  
praesentium Facultatem concedimus, ut, servatis de jure ser-  
vandis, illud praelo committere valeat.

Datum in Conventu Ssae:

Assumptae de Širokibrig:

Die 18 Martii 1867

L. ♫ S.

FR. PETRUS KORDIĆ  
Custos Provincialis m. p.

*De Mandato Paternitatis*

*Suae Ad. Reverendae*

FR. ALOYSIUS RADOŠ

*Custodiae a Secretis m.*

**SANCTAM, CATHOLICAM, APOSTOLICAM ROMANAM  
ECCLESIAM GLORIOSISSIME GUBERNANTE  
OMNIUM FIDELIUM PATRE PIO IX: P: M:**

**NOSTRI TOTIUS ORDINIS GENERALI MINISTRO  
DIGNISSIMO PATRE REVERENDISSIMO  
RAPHAELE A PONTICULO.**

**PROPAGANDAE FIDEI CATHOLICAE PRAEFECTO EMINENTISSIMO  
ET REVERENDISSIMO DOMINO ALEXANDRO BARNABO'**

**S. R. E. C.**

# Curia Episcopalis.

Illuss. et Reverendiss. Dominus D.us FR. ANGELUS KRAGLIEVIĆ Episcopus Metellopolitanus, et Vicarius Apostolicus in Hercegovina: natus in Cerigaj 1087 die 19 Januarii: Episcopus et Vicarius Apostolicus in Hercegovina denominatus 1864 die 7 Decembris: Jadera in Dalmatia consecratus 1865 die 25 Martii: in civitatem Mostar solemnem fecit ingressum 1865 die 13 Junii: quem Deus diu servet incolumen!

A. R. P. PETRUS BAKULA: S. Theologiae Lector Generalis, Ex Secretarius Custodiae, Sexennalis ex Discretus Custodiae, ejusdemque ex Custos Provincialis, et Suae Domin. Illssae: Vicarius Generalis Episcopalis.

R. P. NICOLAUS SIMOVIĆ Sacrae facultatis Lector Generalis, et Secretarius Curiae: Examinator.

---

# **Curia Custodialis.**

**A. R. P. PETRUS KORDIĆ L. C.** Novitiorum, Normaliumque Scholarum quondam Magister, in Custodia Hercegovinae ex Commissarius Generalis Visitator; et nunc Custos Provincialis: electus a Deffinitorio Generali, praevia S. Sedis facultate, die 20 Septembris 1865.

**R. P. ANDREAS ŠARAVANJA L. C.** Novitiorum et normalium scholarum Magister olim, ex Secretarius Custodiae, ejusdemque Discretus.

**R. P. PETRUS KNEŽEVIĆ L. C.** pluribus annis animarum Curator, et Custodiae Discretus.

**R. P. PHILIPPUS ČUTURA L. C.** quondam Novitiorum Magister, et Juvenum Instructor, Guardianus, Parochus, et Discretus Custodiae.

**R. P. ANTONIUS DUSPARA L. C.** olim Novitiorum Magister, et Discretus Custodiae.

Praelaudati Patres aequae ac Custos per electionem Definitorii Generalis, annuente S. Sede, in Discretorum gradu constituti fuere.

**R. P. ALOYSIUS RADOŠ C.** jam Novitiorum Magister, Lector Generalis: Philosophiae, et Secretarius Custodiae.

---

**Amico Lectori.**

**T**n hoc meo, minus polito et exiguae molis, libello si multo pauciora quam reciprocis desideraremus animis perspexeris ; si item quaepiam vix extremis tacta digitis ; alia quoque vagis, atque incertis historiologicis documentis niti deprehenderis, minime succenseas mihi, obsecro : etenim non est in hominis potestate, accendentibus quoque amplissimae fortunae adjunctis, pleno lubitu desideratis perfrui : et quid si adversa praemimur sorte ! Imo, si in eodem hoc meo libello duas extremas hujus Provinciae partes, orientalem, nimirum, et occidentalem, vix commemoratas, et veluti penitus neglectas dolueris ; dolori tempera sapiens ; etenim illarum Provinciae portionum Missionarii, patrio amore, non minus quam ingenio praeditives, descriptionem accuratissimam aut jam pridem in lucem protulerunt, aut sane in longas moras non trahent quin proferant. Meae autem Custodiae atque Missionis topographicci limites, limites quoque isto meo labori si praefixerunt, nemini istud debet concitare iras. Ast quoque determinato, ut praefabar, et quodammodo particulari effecto hujusce laboris scopo ; non me latet sane tuam solertia etiam istius generis libros studiosa manu volvisse ; in quibus aut nihil, aut vix 'aliquid tuis amplis desideriis defuerit in meo autem consimilem si nactus non fueris sortem, causae sane erit : quod non omne solum ubique aequa ferax esse potest. Et ne penitus meae imbecillitati totius culpae pondus adjicias, praemonitum te volo : me nempe, in tali regione (malo omne) natum, vivere, deque tali Europae parte scriptitare, de qua etiam in magni subsellii virorum, castigatissimis copiosissimisque historicis operibus vulgatis, vix aliquod frag-

mentum reperiri est. Novi, nosti plane et ipse, circa omnes res religiosas, et civiles hujusce infelicitatis Provinciae, teterimas transactorum temporum tenebras condensari. Quapropter mihi, meisque Consodalibus, multo serius optato prognatis antiquarum rerum, et gestorum avara caritate afflitis culpae haud reddes, nihil si magnifici proferre possumus. Quid igitur ? ubi antiquis destituimur documentis, nihil impendemus ne nostri posteri destituantur nostris ! haud sane : nimium quippe honestum dedecet virum illud = dolce il non far nulla = . Estque sane etiam sero satius quam ad saniora rediisse nunquam : et in ipsa mea patria, licet exiguae adhuc superstites antiquitatis reliquias, ne penitus deleat dies, video eas, vel maxime, meo, meorumque patriotarum patrio commendari amori, solicitudini, labori. Ast ne et amor, et labor in cassum abeant, popularis *Traditio* conquisita unicum poterit praestare juvamen. Traditionem igitur haud surda aure exceptam, in antiquorum rerum narratione librato gressu sequemur : cumque meliora desunt, tu benevole Lector, his utere mecum.

Quae vero, hac nostra aetate, gloriose in Missione atque in Custodia consurrexerunt, in exploratis habe horum memet ipsum testem fuisse a visu, aut certe a non dubio auditu. Igitur recentiora quibus nilantur jam plene habes : antiquiora autem ubi narrari animadverteris, nullis tamen documentis consignari, istud ex popularibus locorum traditionibus, diligentissima Missionariorum conquitione exceptum fuisse in verissimis habe.

In isto itaque meo libello, cujuscumque demum meriti, tuo humano judicio determinandi, nihil talium est insertum, quod inanis romanticismi, aut poeticae confictionis fallaces vestes praeseferat.

Verumtamen meus, meique rudi calamo exarati libelli scopus primarius, haud est aliis, quam *religiosus* ;

idcirco eumdem libellum civilia tractantem, si etiam minus foecundum videris; neque hoc magnae mihi duces culpae; longe quippe abest, ut ipse hac mea tenui opera completam hujus partis Europae historiam vulgatam esse opiner: cuius pariter mentis etiam te esse nullus dubito. Sed dato quoque mea jam cana desideria tandem effectui demandatum iri, completamque hercegovinensis Provinciae historiam aliquem de nobis sagaciorem vulgatam velle, immensa quis superaret obstacula? Et ne videar gratis asseruisse, vel aliqua tangamus. Majoris molis volumina magnas quoque exigunt impensas; et nos qui cum miseria perpetuo luctamur, quâ vis ut magna audeamus? An non hujus rei causa plures a conscriptione voluminum penitus abstinent; vel non ne etiam quaedam conscripta tineis escam parant, in tenebris, ac pulveribus dejecta? Huic radicali malo, aliud quoque accedit haud exiguum, typorum, scilicet, defectus nostris in partibus.

Adde nos, inter turcas, et schismaticos, zingaros, haebreos commixtim viventes integrum hujus Provinciae populationem efformare: sed illi omnes quum nulla Registra habeant, aut cum habent eadem nosmet cautissime celent; antiquitatum monumenta introspicere haud permittant; qua via vel animosissimus completam historiam concinnare poterit? Nihilosecius adhuc quidam urgent, nosque directe impetunt, ceu minus laboriosos, si non penitus desides; sic illi: sed ego non absre commemorabo: nos paucos numerosi et dispersi catholici populi duces, quotidianis laboribus saepenumero ultra vires distentos, vix, aut ne vix nostris religiosis officiis satisdare posse; et multominus *extraofficialibus* occupari. Sed esto alicui subinde quidpiam vacare temporis, un ideo, amabo, historiam texendi cujuscumque pedi calceus aptus erit!

Sed supersedeamus longiori enumerationi obstaculorum quae ubique terrarum scriptores praemunt, nos au-

tem penitus opprimunt ; fasque mihi sit edissere, in isto  
meo libello etiam si parca manu res civiles tibi conspi-  
ciendas exhiberi gratulatus fueris, grato, quaeso, animo  
easdem excipias ; et quidem eo magis quo difficiliores  
fuerant porrectu. Coeterum quantumcumque per arduas  
circumstantias licuit, nihil sane segniter gestum est, quo  
etiam in civilibus copiosior prodiisset libellus : et si e-  
tiamnum parvus comparet tu tua illum magna generosi-  
tate excipe, et magnus erit.

Interim fusis tuis praecibus ad Deum, meliorem no-  
bis sortem omineris, ut non modo libellos, sed magna  
volumina edamus ; quibus patriae necessitatibus providen-  
tes, tua quoque desideria penitus exsaturari valeamus.  
Sis sospes diu !

*Dabam Mostarini in Hercegovina die 13 Martii 1857.*

**P. Petrus Bakula**

**Compilator.**



# I.

## BREVIS DESCRIPTIO VICARIATUS APOSTOLICI, ET CUSTODIAE PROVINCIALIS IN HERCEGOVINA.

Nomen-  
clationes  
Provin-  
ciae.

**A**ut vix, aut fors nullatenus est invenire aliam Provinciam, quae tot habuerit nomina, quot Hercegovinae appingunt scriptores. *Humska*, et *Hlonska* antiquissimum est ejus nomen Illyricorum historiis consignatum. *Kelma*, *Kelmona*, *Zakulmia*, *Kelnum - Kuduergia*, a Porfiriogenito: (Cap. 30. de Ad. Pin.) et aliis appellata est. Sed hoc nondum satis: *Dalmatiam Superiorem* (Farl. l. 4. 149.) et *Ducatum S. Sabae* Hercegovinam vocatam fuisse constat, non minus quam *Dalmatiam Chroematicam*, v: *Chroatianam*. De omnibus dictis nominibus nulla apud hercegovinenses memoria manet *Ducatu S. Sabae excepto*. Sanctum enim Archiepiscopum Miloševensem (demortuum 1250, cujusque corpus ibidem a Sinan-Pascia 1595 igni combustum fuit; vita ejusdem Sancti Romae 1630 in Patronum Ducatus jam pridem deelegerat, hodieque praesertim schismatica gens pie colit. Duces itaque Ducatus S. Sabae usque ad ultimum appellabantur. Ultimus autem Ducum Stephanus, (ignoratur quibus de singularibus meritis) ab Imperatore Germaniae titulo *Herzog* donatus fuit. Titulum istum porro teutonica lingua Ducem, Principem imperantem signari in compertis est. Igitur ab illo tempore, et ab ipsa qualitate tituli teutonica lingua prolatu; (nempe a seculo XV: haec Provincia *Hercegovina* vocari coepit.

Quapropter sententia quorumdam minus factio convenire videtur; dum putant Stephanum familiae cognomine Herceg jam pridem vocatum, dum in Ducem constitueretur, toti Provinciae suum imposuisse cognomen; quum enim evictum sit illum fuisse *Hranić de Kozak*, vel *Kossak*, jam pridem Comitem; dictum postea etiam *Košarić* vel *Kossarić* (Farl. t. 4. 189: Kačić 453.) Ubi porro sit locus iste *Kozak*, audī *Kossak* haud facile determinatu; turcae enim vix aliquod famosum antiquis nomen loci, antiqua in appellatione inter nos reliquerunt. Est autem una hora a Mostar in occidentem locus *Kozica* etiamnum dictus; et ab *Hum* supra Mostar vix tribus quadrantibus distat; habens vel aliqua antiquiora rudera; quem locum nativum fuisse Stephano *Herceg*, ego non facile dubitarem. In hoc me etiam satis confirmat proximus *Collis Hum*, a quo, ut diximus, tota Provincią, et gens ejus fuit dicta *Hum-ska*. *Hum* autem insidens Mostar, suo tali nomine hodie dum a populo appellatum, ego minime dubito ipsissimum locum esse, a quo tota Pravincia denominationi sortita est. In hoc enim colliculo, et suis vicinitatibus etiam hodie prostant non ignobiles reliquiae antiquarum arcium, ad defendendam civitatem *Podhum* optime dispositarum.

Existit quidem in planicie Bišće (hora 4: Mostar) *Humka*, sed ibidem nullis civitatis, aut fortalitorum existentibus signis, vix possibile ibidem fuisse aliquando locum principalem Provinciae; maxime cum certissimis signis constet planitiem illam Bišće antiquitus totam aquarum inundationibus patuisse; verum de his fusius, ubi de civitate Mostar, ac Blagaj sermo accesserit.

Extensio Topogra-  
Hercegovinam ex parte occidentali non parum deccus-  
phica sam arbitrabimur, (*Jukić Zemljopis* (3) *Vezirluk Mo-*  
Hercego-  
vinae;  
starski) etenim nonnisi usque ad *Duvno* Hercegovinae  
ejus longitudo pertingeret. Verum qualecumque scopum  
qualitas, habuerit dicta limitatio, nos nihil dubitamus ipsam plene

adversari et prioribus Hercegovinae vicissitudinibus, Duvnensem non solum, sed etiam Lienensem Districtum, ultra *Glamoč* ad *Krainam* usque pertingentibus comprehendentis; et non multo pridem denileationi geographicae a Clarissimo Domino FRANCISCO KRUŽIĆ, 1861: et a D. H. Kiepert 1853. publico judicio donatae, magnique habitae. Igitur ei si mea nihil plene intersit, sive recensita decussio vocetur Hercegovinae pars integrans, sive aliter nominetur; illud suaderem ut jam fixa, vulgoque nota nomina non immutemus; innixi forte hac insufficiente et penitus extrinseca nomini ratione; — quod illa superior Hercegovinae pars Mostariensi gubernationi non subjaceat — Alioquin disceptio Provinciae a turcicis gubernatoribus, inter Bosnam et Hercegovinam nostro tempore facta; et illa alia antiquior, quoad superiora Dalmatiae loca, cum Austriae Imperatore a turcis peracta, si sufficienes essent determinandis antiquae Hercegovinae limitibus, jam deberemus omnibus historicis talia tractantibus contradicere. Et sane, si türkarum Imperator 1834. non integrām Hereegovinam, (quae vel tunc ejus in manibus erat) sed ejusdem majorem partem *Rizvanbegović* cessit, proque Veziriatu adsignavit, istud minime proreliquum antiquae Hercegovinae partes non egisse, sequitur puta; illam portionem quam p. idem in orientali ora (1788) Mahmut Paša sibi addixit, et illam quae adhuc in *Neretva*, et *Rama*, sub Bosnensi Gubernatore existit; et in occidente Livnesem circulum constituentem. Hac in re, (quae contentiones non videtur mereri) audiamus Const. Porf: C. 30. 33, de Ad: Im: — A Ragnsio Zachlumorum Principatus initium hahet... suntque in Zachlumorum territorio urbes babitatae, *Stagnun*, *Mokrišić*, *Jasle*, *Galumanić*, et *Dobrišić*.

Itaque ego ab antiqua longitudinali Hercegovinae extensione haud discedens, illum repeto a *Kraina*, *Sodrensem* usque circulum. Ab uno ad alium dictum terminum rectilinealis longitudinis adjudico esse italica

millaria circa 495. Latitudo autem maxima hujus Provinciae est inter *Konjic*, atque *Šebisina*, offertque italica millaria 60.

Superficialis autem totius Provinciae extensionis 360. quadrata millaria esse vix dubitarem. Conterminat autem Provincia haec ab oriente cum *Serbia* et *Albania*, a meridie cum *Cerna-gora* et *Dalmatia*: ab occidente item cum *Dalmatia* et *Kraina*; a Septentriōne ubique cum *Bosna*.

Hercegovina autem est sub gradu astronomico longitudinis orientalis intra 35: et 37. 20 latitudinis autem septentrionalis intra 43. 50. Pars contermina hujus Provinciae cum *Bosna* propter plures montes erudo subest climati; pars autem meridionalis miti: et quidquid ad mare dalmaticum laboriosa potest producere manus, in meridionali Hereegovina nihil minores dare posset fructus; sed incurio gubernio, pinguissimae quoque auri fodinae sterilitatem, pallidamque famem parant. . . .

Quod autem silvas spectat, hodiedum aliquas proceres arbores in paucis quibusdam montibus vix est inventire: maxima in parte signanter in meridionali, satis ex longinquo, et vix ipsa vilia ligna habere possumus, quibus ignem alamus. Successiones integratim sylvarum, ad effectum miserabilis inseminationis frumenti; excisiones interminabiles pro parandis carbonibus, proque excoquenda calce; excisiones item indiscretissimae arborum et ramorum ad paranda culmina, tempore hiemali animalibus porrigenda; his cum adjunxeris fabricationes permultas hoc nostro tempore efformatas, tumque interminabiles sepes; jam habebis plenam causam, cur nostri montes, collesque horrida calvitie labrant. Neque putas a nobis Religiosis et gubernio, et nostraē genti meliora non recordari de conservatione deque sylvarum implantatione; sed surdis canere frustra est. Interim, et maxime Provincia haec ob semper majorem sylvarum defectum majoribus aestivis siccita-

tibus aduritur; et borealibus ventis incessanter, et dire flagellatur. Sed jam quae sunt provincialia transigens, ad illam partem, Custodiam et Vicariatum, constituentem, sermonem coarcto.

**Descriptio** Haec nostra Missionaria Custodia, non solum non complectitur integrum Provinciam Hercegovinae; sed neque integrum guberniale Districtum ejusdem. Etenim, a parte occidentali in circulo Livno, 7 Paraeciae administrantur ab optime meritis meis confratribus Bosnensis Almae Provinciae: suntque omnes dictae Paraeciae intra actuales limites Vesiriatus Bosnensis. Verum vel in hoc ipso hercegovinensis Gubernatoris circulo, ultra Flumen *Neretva*, a Mostar versus orientem flevitentem ad meridiem, 6 Parochiae a nobis haud administrantur. Hae quippe sunt de rationibus peranti qui episcopatus *Tribuniensis*; suntque sub spirituali directione Dignissimi Praesulnis Episcopi Ragusini: administrantur autem a Missionariis partim nativis Praesbyteris saecularibus, partim autem ab alienigenis Franciscanis: et numerant omnes istae Paraeciae animas catholicas 9177; illae vero septem in occidentali plaga paulo ante commemoratae, animas 10,047.

*Tres* demum in Rama atque una in *Podhum* (*Neretva*) animas 7482.

Igitur ista nostra Missio incipit quodammodo a meditullio longitudinali Hercegovinae, et suam expropriet extensionem versus occidentem, et civitatem Livno. Flumen *Neretva* fere per medietatem transversalem Hercegovinam secat; et hoc ipsum flumen nostram a Tribuniensi Missione ceu dividit; neque nos habemus nisi paucos pagos ultra *Neretva*, nempe aliquos penes Mostar, et alios prope Konjic. Itaque incipiendo a *Neretva* usque ad fontem *Matina voda*, intra Grabovica et Livno existentem (in medio viae publicae) nostra pertingit Missio sua longitudine: et habet milliaria italica 90 a Malovan Metcović usque. In tota praecitata longitudine integrum Provinciae latitudinem nostra servat

Missio, Vicariatus aeque ac Custodia, estque lata mil- liaria 63. ab extremis confiniis Konjić usque ad Met- kovičh. Itaque Vicariatus iste Apostolicus conterminat, ab oriente ferme ubique cum flumine Neretva, a me- ridie indiscisse cum dalmaticis locis = Metković = Vid = Vrgorac = Koz'ca = Imoski = Studenci = Ričice = Ar- žano = Bilibrig sub Livno : ab occidente cum circulo Livno : a media nocte cum Bosnae locis = Kupres = Rama = Soviči = Jablanica = Lisičići = Visočica. etc.

Clima  
et  
Qualitas  
soli  
nostra

in  
Missione

Ut melius percipias dicenda, mihi vitio haud vertes, si quasi novitus a me tibi indicari audiveris *Partem Superiorem Nordicam Vicariatus*, et *Partem inferiorem Meridionalem*.

Prima porro constituitur ex sequentibus nostris Paraeciis = Pošušje = Rakitno = Seonica = Županjac = Roškopoglje = Grabovica = Šuica = Konjic seu Zaslavlje et Gradac = . Omnes praecitatae Parochiae plus, mi- nusve montanos obtinent situs; solum proinde habent nequaquam sterile, sed certe minus ubertosum; et quibusdam procreationibus penitus ineptum.

Alteram vero inferiorem partem efformant: Mo- star = Gabela = Humac = Veljaci = Ružići = Gorica = Široki Brig = Ljuti dolac in Blato = Čerin = Gradnići. Omnes istae Parochiae, et si non aequali in gradu, gaudent tamen multae fertilitatis solo et climate, ceu marino miti. Interna autem nostrae terrae viscera scruta- tata, praeter plurimarum specierum lapides, construc- tionibus et calci aptissimos, et ultra quam ulla exigat necessitas, praebundantes, offerunt etiam pluribus in locis ferri metalla, sulfuris, carbonum fossilium, alicubi cupri, et in paucis locis etiam argenti et auri. Non- nulla flumina etiam quosdam lapis non ignobiles ef- ferunt. Terram rubram, pro cisternis, ac locis humi- dis aptissimam, magna in quantitate propinat nostrum solum; item omnis generis argillas, atque creetaeas terras, nec non calcareas, et sabulosas.

Interim, ubi de singulis Paraeciis et pagis agere coeperimus, tunc quoque singillatim indigitabimur cu-

jusque loci singulares productiones: haec nunc generatim dicta satis sunt.

De reliquo haec ipsa *meridionalis* portio, et si planitiebus non careat (uti inferius visuri sumus), generatim tamen asperitate lapidum praevalet parti *Nordicae*.

**Montes** Velež supra Blagaj et Mostar = Prenj = Tisovica  
**Principa-** = Bielašnica = Kapa = Batievica (mons transitu peri-  
**liores** in culosus, in quo videre est plura sepulchra viatorum  
**hac Mis-** frigore peremptorum) = Borašica = Crvanj = Ljubuša  
**sionaria** = Jelinak = Čabulja = Čvrstnica = Vran = Malovan =  
**Custodia.** Jelavača = Zavelim = . Praecitati montes universim  
 excellentissimis pascuis, herbisque medicinalibus abund-  
 ant. Minores autem montes, et majores colles specia-  
 tim suis in locis indicabuntur.

**Flumina** Neretva = Trebižet = Buna = Jassenica = Radobo-  
 in lje = Potoci = Biela = Perutac = Drežanjka = Glogosti-  
**Missione.** ca = Ostrožac = Ribičica = Raščica = Oraovica = Ugo-  
 sica = Jesanica = Jušica = Biela Konjička = Ljuta (hoc  
 est acidulenta) = Rakitnica = Krupac = Lodjanica =  
 Vrpolje in Rakitno = Studena = Suica = Oštirožac =  
 Brljevci = Lištica = Crnašnica = Žvatić = Tihaljina  
 = Jakšenica = Studencica = Nezdravica = . *Neretva*  
 quidem praeprimis, sed et alia omnia flumina bonae qua-  
 litatis habent pisces; maxime trutas.

**Lacus.** Krenica (piscibus rarae pinguissimae speciei a-  
 bundat) = Borci = Jezero Crnopolje = Čvrsnica (hoc  
 est in summitate montis hujus nominis) = Blaca = Po-  
 košte = Midena = Sinjac in Brina.

**Fontes** Crno-vrilo = Ošljak = Bandole, (numerat ad 60:  
**principa-** fontes) = Grkuš = Slano-vrilo Barice = Brišnik = Bla-  
**liores.** žuj = Matinča Voda = Lepuv = Močila = Vronjače =  
 Miakova česma = Česma in Vinica = Javorak = Žukokovica =  
 Slavić = Česma ričina = Nova voda = Nožinac =  
 Stuble goričke = Stuble sovičke = Dragovia = Gruds-  
 ko vrilo = Topala = Gožul = Žabjak = Proboj = Go-  
 ruša = Banja = Modroko = Borje = Kolovrat = Hrlonja

= Ploča = Studenac = Jutor = Lemiševac = Brist =  
 Palačak = Buković = Svet-ivan = Bakri = Bubanjdolac  
 = Čerin = Kripovac = Sritnice = in Gabela, Fratarsko  
 vrilo = Slano vrilo, (et quidem correspondet suae denomina-  
 tioni aquis saliginosis) = Arapovci = Ćatića česma =  
 Babun = Žabljak = Assanovac = Orđvnik = Studenac in  
 Rasno etc.

*orrentes*      Suhodô in Mostar = Mokrošnica = Ugrovača = Pri-  
*maiores.* valj = Topala = Brina = Ričina = Ričina in Duvno =  
 Ričina in Grabovica = Lukoć etc.

*fontes in-*      In Mostar = Konjic = Buna = Blagaj = Sub Hu-  
*gniores.* mac = Mlade = Lištica = Struge = Potoci = Grabovica  
 = Prosoje in Drežnica = Glavatićevo — .

*sepulchra gentilitia* Nullibi locorum in Europa invenire est tantam  
*et* multitudinem veluti consitam antiquorum monumen-  
*Acervi la-* torum, et, ut ajunt, gentilitium sepulchrorum que-  
*pidum vulgo* madmodum in Hercegovina. Est autem singulum sepul-  
*Gomile* chrum circa corpus solide constructum, et saepissime  
*in Herce-* etiam fornice, instar cubicelli, armatum ad terrae su-  
*govina.* perficiem; tunque summa sepulchri plus minusque  
 magno et plano praemunita lapide. Huic demum alium  
 incidentem videre est, tam magnae grossicie, ut reapse  
 obstupescat etiam expertissimus vir; et maxime si co-  
 gitaverit tam immensam molem, quibus mediis transtu-  
 lerint ad montes et colles non semel praeruptos. Ubi  
 duos indicatos lapides demiratus fueris, haud non fre-  
 quens etiam tertium secundo incidentem videbis, isque  
 ad formam parvuli templi, aut domus figuram referens,  
 diversa tibi embleemata praesentans, in aliquid magni-  
 fici tuam rapiet mentem. In hujusmodi enim lapidibus,  
 sat affabre elaboratis, praeter familiarum stemmata, e-  
 tiam regia de stirpe prodeuntium, multa alia est exci-  
 sa ibidem videre; significantia qua occasione ibi se-  
 pultus occubuerit, vel quibus in vita speciatim occu-  
 paretur, Inscriptiones autem communiter glagoljitcae,  
 saepissime in monumentis desiderantur: sed de istis  
 sepulchris etiam mentionem facturi sumus in singulis

parochiis. Acervi autem lapidum inordinate accumulatorum (Gomile) etiam in Hercegovina ferme innumera-biles sunt; semperque in colliculis, et magis levatis lo-cis congesti; magnitudine autem, et lapidum copia 4 o 4 ut vere stupesias. In fundo hujusmodi acervorum est invenire carbones, ossa humana, vel vasa cum cineri-bus, aut perpetui luminis. Igitur etiam isti acervi la-pidum, sui generis sepulchrorum qualitates: de quibus sat esto innuisse.

Viae Regiae. A Mostar = Bilopolje = Selakovac, et tendit juxta fluvium Neretva per Jablanica = Konjic, ibidemque ut • conjugatur cum Via Saraevio procedente a prima est via currulis, quae nostra in regione, a quo tempo-re turcis paret, extrui coepit (1863.) ex ordinatione quidem guberniali, sed maximo, et minime soluto, laba-re christianorum.

- a) Item a Mostar — Bišće — Gubavica — Dubrave — (Stolac divergente ramo) Gabela — jungiturque austri-acae Viae in Metkovići.
- b) Item ramus ejusdem viae ex Dračevo post par-tem in flumine Krupa pergit ad meridiem, et dicit in Klek.
- c) Item ejusdem viae ramus ex Bišće versus septem-trionem per Blagaj, dicit in Nevesinje.

Via quidem publica, ast ex indebita directione et structione minime currulis, a Mostar Bišće — Jasenica — Čule — Stritnice — Čitluk — Dubrava — Cerno — Lju-buski. Via pariter publica, ast non currulis a Mostar — Ilići — Žrovnjača — Blato — .

Istae omnes viae initiae sunt post illam per Bilo-polje; et vere sanguineo sudore catholicorum strueban-tur, et hodie pariter struuntur. Anno elapso (1866) haec nostra Provincia summa annonae caritate laborabat; et nostrates miserrimi multo plus fame enecabantur in publicis viarum constructionibus (quin bolum panis re-ciperent, aut minimum nummum) quam coacto im-mani labore. Pro hujusmodi miseris non semel a nobis

gubernio praeces substratae fuerunt; sed prorsus in cassum. Proh dolor! post tot excruciatuſ, si adminiſ curarent vias quibus vehi poſſit !!!

Porro viae *communales* in tota noſtra Missione prorsus nullae ſunt; et vel ipſis peditibus, ut pluri- muſ, poffimus eſt incessuſ. Aliqui de nobis Religioſis in diversiſ ſitibus Parochiarum, ſoleritia et impensioliſ noſtriſ quoſdam ramos curavimus viarum communalium; ſed hi relate ad totius Missionis neceſſitates parvae reſ ſunt.

Guber-  
nium  
Civile.

Totuſ hujus noſtræ Missionis diſtrictuſ, jam ab anno 1463. turcicæ ſubeft potefati. A praecitato tem- pore uſque ad annum 1834: Hercegovina veſiriatus Bosnensis partem faciebat, in omnibus dependentem; ideoque gubernaliſ ſedes a nobiſ ſat diſtabat, diſſiſilis- que erat accessu. Atque ita partim ex iſto fonte, par- tim autem quod iſti noſtri turcae poffimae indoliſ ſunt, ſeiliſet, Patareni et Schiſmatici, ac nequam catholici ad mahumedanifmuſ converſi, nos pejora, et horribili- liora ſuſtinuimus quam in ulla Imperii parte. Sed ne- que ab anno 1834. meliore fortuna donati ſumus. Ali Paſa Rizvanbegović ab anno 1834. in Veſirii qualita- te nobiſ praeerat uſque ad annum 1850; et hoc qui- dem ad omne exitiuſ christianiſtatis. (Vide: I Martiri dei Francescani in Hercegovina. Roma 1862. — et Her- cegovina za Devetnaest Godinah Vezirovanja Alipašina. U Beču 1863.)

Post trucidationem Ali Paſa uſque ad annum 1867. habuimus diuersos Viſirios plus, minusve conſiſtentēs, ſed christianiſtati faventeſ neutiquam.

Tandem anno 1867 incooperunt loco Veſiriorum *Kajmekani*, hoc eſt Veſirii agentes vices; ſubjecti in omni negotio majoriſ momenti Veſirio Bosnae: ſieve noſ iterum ſub bosnensem diſtione in ciuilibus, vel ex parte rediſimus.

*Kajmekan* porro, et omnes alii maiores dignitarii ſedem habent in capitali civitate Moſtar. Pro diſjudican-

dis diversis generis causis, habet Kajmekanus quatuor species consiliorum, aut tribunalium: scilicet, *Civile*, *Criminale*, *Mercantile*, et *Religiosum*: *Militare* autem est penes ipsos milites. Consilio civili praeest ipse Kajmekanus: criminali Reiz! Religioso Kadi. In hujusmodi discutiendis causis etiam duo de catholicis, duoque de Schismaticis locum habent; item duo Episcopi, noster, schismaticorumque vocem habent; et istis quam illis loqui quidem pro justitia non inhibetur; potiri autem decisione debita in christianorum favorem, inter majoritatem turcarum judicum, vix continget, nisi in re aliqua etiam vulgo patente.

Igitur ista recens admissio christiani nominis virorum, ad ferenda judicia, apud nos nihil habet boni, nisi *speciem extrinsecam*: et ubi animo adverterimus christianorum adversus turcas testimonia floccipendi a dicentibus sententiam, jam abunde capies, quo pede res nostrae in judiciis incedant.

Religi-  
ones. In hac Missione, omnibus aliis, nostra numerositate praevalet Religio, turcica subinde, (*dominans*) tum schismatica, dein Zingarica, ac tandem, recens invecta, hebraica. Hujusmodi religionum sequacum numerum, respectivis in Paraeciis, tumve in summario complexu recipies. Conculta turcicae religionis sunt, *Musti*, *Kadi*, *Kimam*, (qua Parochus) et *Mujezin*, (cantor): nostrae autem schismaticorumque duo respectivi Episcopi residentes: Zingarorum autem et hebraeorum religiosi duces non eminent. Sunt porro zingari vilissimae sectae turcicam referentis religionem: ideoque matrimonia coram Kadi contrahunt.

Non multo pridem etiam per nostros gubernatores cultus publicus *liber* proclamatus est; *liber* quoque transitus (declarata in judicio publico voluntate) ad quamecumque religionem. Interim, ubi contingat christianos ad turcicam transilire, nulla plane obstacula experientur; ast viceversa, etiamnum palam apud nos exequi id fere impossibile erit, sine immensis adversitatibus, periculisque.

Interim quod cultum *publicum* concernit, fas est verum fateri, nosmet ab isto ultimo bilustro a turcis minime impediri; et quidquid Religionem spectat, hominem Missionarii multo liberiores sunt, quam ullibi locorum in Europa. Religiosis causis Gubernium penitus non se immisceat.

**Status psychologicus Hercegovinensis** universim, maxime *superiorem* incolentes, solida corporis constitutione gaudent; statuta ordinaria, pigmeum, aut monstruosum vix ullum invenies: formis corporis, faciei pulchritudine, uterque sexus commendatur. Si constanti sollicitudine ut viribus pollerent, etiam gravissimis laboribus ferendis aptissimi essent.

**Indoles et Genium.** Irritabili indole donati sunt Hercegovinenses; ast non animo diu iras nutritae, aut vindictam occultam meditante; de facili incenduntur ira et quacumque cordis emotione, sed etiam de facili sibi temperant. Voraces non sunt, ast potui lubentes indulgent. Ingenio polent perspicaci, hilaritatis et poeseos sunt amantissimi; item historiarum.

**Devotio.** Religionis, rerumque sacrarum hercegovinenses sunt tenaces; et in nonnullis religiosis disciplinis, etiam excedentes. Jejunio ac eleemosynis plurimum exercentur: hospitalitate autem delectantur quam maxime.

**Conditiones Civiles** Respective ad totum nostrum populum, pauci sunt qui levi mercationis negotio occupentur; major autem numerus diversas exerceat artes: et maximus ruri vivens, agricolarem, et pastoritiam transit vitam.

**Æconomiae.** In nostra Missione, et quidem ab istis ultimo epochis duabus lustris, multos catholicos non est numerare suas qui habeat terras et domos: suntque proinde turcarum coloni, universim pauperes; et relate ad alias nationes, aegeni. *Superioris* hercegovinae incolae ex armentis maximam partem parcae sustentationis retrahunt: *inferioris* autem ex tabacho, vino, et frugibus.

Ritus, ac Linguae Nos Franciscani, uti ubique terrarum, sic pariter in Hercegovina, Sanctae Romae ecclesiae Latinum in omnibus Sacris functionibus Ritum, caeremoniasque servamus. *Rituale* igitur intra nostras manus est ipsissimum Romanum: Missale quoque atque Breviarium pariter Romana sunt; salvis interjectionibus nostri Ordinis Sanctorum. Igitur quidquid ex Rituali aut Missali sacro ministerio agendum est, latine apud nos fieri debet. Verum conciones ad populum, decantationes diebus festis Evangelii, ac Epistolae, tempore parochialis sacri, item Processiones, et solemnes Benedictiones, tumve publicae orationes, lingua vernacula Slavica fieri consueverunt: sed celebrans Epistolam, Evangelium, Prophetias, Passionem, etiam lingua latina per legere tenetur: eo quod nos Latini Ritus sola Slavica lectione nostris muneribus non satisfaciamus; quamquam nostrae nationis saecularibus Presbyteris, nostrae linguae usus in consciendis sacris permissus est. Quoad sacras Confessiones excipiendas lingua italica frequentissimum habemus opus, advenarum causa; item ratione officiorum vicinae Dalmatiae. Linguam autem gubernii tureicam etiam nobis necessariam esse quisque percipit: sed neque teutonica, et gallica semper dispensari possumus. Igitur solius nostrae linguae notio pro nobis parum esset.



## II.

# RELIGIO CATHOLICA

ET CONVENTUS FRATRUM FRANCISCANORUM

IN HERCEGOVINA.



**Q**uamquam in Hercegovinam, catholicam Religionem vel ab ejus primordiis introductam fuisse, contemporanea, scilicet ac in Dalmatiam, praedicante eam Toto Pauli Discipulo, haud nimis dubitemus; ipsam autem postea Haeresibus, signanter Patareniana, tumque graeco orientali schismate dire defaedatam fuisse, certissimi sumus. Imo Religionem catholicam suis ab exordiis, calle non interrupto, ad nostra usque tempora pervenisse, nullus certis argumentis evincere potest. Si igitur in Hercegovina nostra Religio renata est, atque conservata, civilis quoque culturae germina, primum Deo, dein meis Confratribus summas tenemur referre gratias... Notum quippe est, (vide Schem: Provinciae Bosniae 1864) Franciscanos, Ordinis Institutioni fere coevos, primum qua Missionarios, dein in Magnam Vicariam coalescentes, ab illorum nido, et Assisii civitate evolatos, omnia ordine salutiferae Religionis praedicatione loca lustravisse. Nec video qui non praesumam, Hercegovinam utique pridem, quam remotae Panoniae, ac dissita Reni ad littora catholicam per Franciscanos redivisse Religionem. Est igitur in Hercegovina si nil antiquior catholica Religio, certe tantum antiqua, quantum et Franciscanorum in eam ingressus. Franciscani igitur

sunt nostri secundo missi Apostoli. Evangelii Praedicatores, strenui Religionis hanc usque diem Conservatores.

Fuisse autem, et in ipsa hodierna nostra Custodia, priscis temporibus tum Franciscanos, tumque eorum Monasteria, Historiae fragmentis etiam silentibus, existentia rudera, et vivum traditionale verbum etiam nolentibus ultro praedicant. Et ut praeteream duos antiquos nostros Conventus, *Ossignensem*, et *Ramensem* hodie extra nostrae Custodiae limites positos: tres alias industriae quondam existentiae inter nos, utique indigitare est. Anno enim 1343: Odo totius Ordinis Nostri Minister Generalis Hercegovinam praesens perlustrans, sua in Epistola ad Nobilem virum Comitem, inclitae familiae Vladimirović Rodosium haec habet. « Similiter et » quatuor coenobia a dominatione Vestra fundata, ac » praediis propriis abunde dotata, in vestro amplissimo, » et praediviti Comitatu, Principatuque nimirum Na- » rentae in scopolu Ossignii quem locum (ut inquiunt) » designavit Noster Patriarcha Franciscus, occasione » qua visitavit Urbem Naronam, ac vestram Fulgidam, » primogenitamque ibide in Fide catholica domum... » *Ljubuškae*, consecratum S. Catharinae V. et M. *An-* » *devii* vulgo *Mostar*, oblatum S. Antonio, et Konjicij, » dedicatum S. Joanni Baptistae » (Novin Lib. Honest: pag.: 15.)

Verum praeter supra recensita tria Monasteria, in hac ipsa nostra hodierna Missione; in superiori Broćno et in loco Čerin nominato, existunt Conventus patentissima rudera, conventionalisque ecclesiae: et is an fuerit *nostrorum* Conventus, an potius Basilianorum, non est qui clara convictione judicet; vulgus autem fert etiam ibi fuisse magnum Franciscanorum conventum. Item quod in Duvno, alioquin loco famoso, fuerit noster Conventus, rationes sat probabiles suadent; hoc ipsum quoque vulgo traditur; sed quoniam in praeciso loco fuerit structus cognoscere haud potuimus.

Etiam in Broćno penes fontem *Ploča*, ad pagum Gradač, hodie extant neglecta turcicae Moscheae vilia rudera; et ibidem quoque Conventum fuisse, ecclesiamque in Moscheam a turcis conversam, localis traditio audit.

In Jialjna ad locum nunc inhabitatum a *Primorac* sub Malić, ab antiquis traditum est quondam ibidem Franciscanos parvum habuisse Monasterium, ideoque et vocari Franciscanorum vallem.

Verum enim vero turcicus furor, non solum incertae determinationis conventus absumpsit, sed etiam illos indubiae.

- a) Conventus S. Joannis Baptistae Konjiceii, 1534. (*Norin pag. 42*) a turcis solo acquatus fuit: de quo hodie vix aliqua rudera ex terra prominentia dolens inspexi.
- b) Turcae persecutionis furore acti, Episcopum Duvnensem Fratrem Danielem Vladimirović insequentes, quum rescivissent illum ad Conventum S. Antonii in Mostar divertisse; et quum eum ibidem minime deprehendissent, Religiosos Conventum inhabitantes, lesae Majestatis crimine insimulant, morte crudeli eosdem afficientes, conventum in rudos converterunt 1570: (*Norin. f. 43*). Est porro Daniel iste Episcopus idem ipse inferius a nobis referendus: cui Ljubaškiae turcae necem intulerunt.
- c) Sed nec Ljubaškensis S. Catharinae conventus meliore quam alii sorte donatus est. Turcae enim hic Danielem Episcopum repertum, solito furore Martyrio afficiunt, conventum autem penitus devastant: et qui-dem eodem anno, eademque occasione, quibus et Mostariense subverterant Monasterium (*Norin.*) Atque sic proh dolor! ab illis infaustis temporibus, tota in nostra misera patria ad haec usque novissima tempora nihil plane videre erat de monumentis pietatis antiquae, nisi hinc inde inordinatam, et exustam lapidum congeriem.

### III.

## Origo Vicariatus Apostolici

IN HERCEGOVINA.

---

**A**ntequam ad enarrationem actualis Vicariatus Apostolici constitutionem accedamus, aliquid de antiqua episcopali sede in *Mostar*, innendum venit; item de illa in *Duvno*, praeclara hujus Missionis sectione.

**E**piscopi  
**M**osta-  
**r**enses In *Andricensi* urbe, hodie *Mostar*, quo praeciso tempore sedes episcopalibus erecta sit, quotque suos haberit Episcopos, mihi sane non constat. Constat autem sequentes optimae memoriae viros dictam occupasse sedem: Norim: referente.

### II.

**F**RATER JOANNES VLADIMIROVIĆ A NARENTA:  
creatus 1432.

### II.

**F**RATER JOANNES A MONTE MARTINO:  
creatus 1434.

### III.

**F**RATER PETRUS VLADIMIROVIĆ A NARENTA.  
1525.

**E**piscopi  
**D**uvnen-  
**s**es Plures quam quos adferimus *Duvnensem* episcopalem occupasse sedem, urbis alioquin et antiquissimae, et potentissimae, non improbabilis conjectura est.

Ast ubi uberioribus destituimur documentis, arctis  
contentari oportet; et quos possumus Episcopos recen-  
sere.

**I.**

**MALCUS, 590. MAGNO GREGORIO**  
conemporaneus, uti ejusdem Gregorii Epistola  
testatur.

**II.**

**FR. MARIUS 1337.**

**III.**

**FR. GUERRINUS 1347 JADRENSIS.**

**IV.**

**STEPHANUS 1355.**

**V.**

**FR. PETRUS FELICONIO = KAČIĆ 1394.**

**VI.**

**FR. GEORGIUS 1406**

Multa passus a Schis : et haeret:

**VII.**

**GEORGIUS II. 1412.**

**VIII.**

**FR. BLASIUS 1419.**

Doctrina ac Sanctitate celebris.

**IX.**

**FR. NICOLAUS I. 1426.**

**X.**

**FR. HUGO 1433.**

**XI.**

**FR. HIERONYMUS.** 1439.

**XII.**

**FR. NICOLAUS II.** a JADERA 1460.

**XIII.**

**VITUS** 1490.

Iste etiam Macarensis praeerat ecclesiae.

**XIV.**

**NICOLAUS III.** 1540.

**XV.**

**FR. DANIEL VLADIMIROVIĆ** a NARENTA 1551.

**XVI.**

**FR. DANIEL II.** 1590 MARTYR IN LJUBUŠKI. \*

**XVII.**

**FR. MARIANUS MAROVIĆ** 1644.

ad Bosnesem translatus episcopatum.

**XVIII.**

**FR. MICHAEL JANKOVIĆ** 1654

(*Farlati Tom 4. fol. 170*)

\* “ Hic 1563: die 10 Maji in Ljubuški a turcis martyrio affectus in cruciatibus occubuit; et in conventuali ejusdem loci S. Catharinae ecclesia tumulatus, vel ab ipsis turcis cautissime custoditus religiose colitur. (Norin: fol. 79) ”

Sed notandum praefatae ecclesiae nonnisi tenuissima extare rudera; et ibidem nihil turcas religiose servare, exploratum nobis est.

Ast communiter vulgo ferunt: in arce Ljubuški Danielem martyrii corona donatum, in quadem arcis turre, a turcis gelosissime custodiri, ob quamdam invictam vim supranaturalem, prohibentem turcis in illam turrim ingressum.

Si vacaret, et praefixi scopi angustiis non coartarer, diutius vellem ennarrationem protrahere, giorelisam rem in Hercegovinae vicariatu concernentem; praesertim dum a Dalmatiae Antistitibus administraretur: sed cum horum etiam brevior relatio mei laboris excederet limites, ideo satius duxi hic illa omittere, et ad Clarissimi Farl: diffusum opus Illyrici Sacri lectores remittere.

Itaque ab illo tempore initia ducimus, a quo Vicarii Apostolici in Bosnia esse cooperunt, scilicet ab anno 1737. Turca etenim post Viennense bellum, sibimet exitiale, maximas, etsi ineficaces, contra nomen austriacum congressit iras; nihilque austriaci, suis in dominiis, pati potuit. Idecirco Episcopi vicinae Dalmatiae, non secus quam ille Diakovarensis, in Hercegovina atque Bosnia visitationibus sacris, et omni cura catholicorum abstinere vel inyiti debuerunt. Atque sic miser grex, ne pastore orbatus, furibusque pateret, oportuit aliquos, quidem de turcicis subditis, episcopali gradu insignitos gregi praesicere. Hinc ergo Vicarii Apostolici, vastissimi et scabrosissimi Vicariatus Bosnae, atque Hercegovinae esse cooperunt. Tres igitur Episcopatus, Bosnensis, Duvnensis, et Mostariensis in unum coauerunt Vicariatum Apostolicum; et sub *Septem*, gloriose memoriae, Vicariis, recitata in fusione permanserunt.

Agente autem *octavo* Vicarii partes, scilicet, I. R. D: Raphaele Barišić; accedit illum cum Provinciae Franciscanis Patribus, equidem parvis scintillis excitatam, in magnae molis litem devenire: cumque nullum tribunal colitigantes componere posset, easdem separare, Sanctae sedis sententia necessum fuit. Barišić itaque, honorifico quidem titulo Visitatoris Apostolici donatus,

in Albaniam ad Archiepiscopatum Antivarensem sese contulit; Bosnenses autem, et Hercegovinenses sine ullo vicario Apostolico manserunt; nisi quod ille adhuc nomen retineret. Verum enim vero, in praecommemorata lite (vide processum Romae in Propaganda vulgatum, anno 1844.) ex Hercegovina oriundi Patres, aut se semet neutrales exhibuerunt, aut sane minus exarserunt; ideoque Vicario Apostolico quasi plene inoffenserant. Alia ex ratione Vicarius Apostolicus vel aliqua parte sui vicariatus redonari desideriis addixerat. Tales duae circumstantiae ex cineribus evocarunt Hercegovinensium Patrum speim, nunc, scilicet, separatum a Bosnensi eorum in patria novum Vicariatum procreari posse. Sterilibus desideriis haud immorantur; Ill. Dno: Barišić, in Albania residenti, suis patefactis desideriis, eundem inter eos in Hercegovinam venire instantissime invitavit.

Is, transmissis hercegovinensium desideriis, suisque S. C. Propagandae fidei, ab hac benignum obtinet auditum; seseque, vergente ad finem anno 1843, in Hercegovinam confert: et quidem duplice potestate instructus, Delegati et Visitatoris Apostolici, junctae ordinariae Vicarii Apostolici: retinens quoque, et si inefficacia, etiam quoad Bosnam, eadem jura. Verum, anno 1847 18 Septembbris, Bosnensis Religiosa Provincia per Apostolicum Breve suis restituitur juribus; hercegovinenses autem eorum adimuntur potestate; et in Bosnia, jam existente simplici Sacerdote, in qualitate pro Vicarii Apostolici, cum facultate confirmandi, A. R. P. Andrea Karačić; Illuss: Barišić ordinaria ac extraordinaria potestas ad solius Hercegovinae nostrae Missionariae confinia coaretata fuit. Atque hic *novi in Hercegovina* Vicariatus, initium videre est.

Praetermissis autem aliis oportunius dicendis, ubi de nostra Regularis Custodiae *Institutione* egerimus; hic ad annum 1852: et diem 9. Novembr: velut quodam facto saltu indicamus: ex Sanctae Sedis Decreto;

Illmi Barišić etiam in Hercegovinae finibus extraordinariam desiisse potestatem: ipsumque amado solius Hercegovinae esse Apostolicum *Vicarium*. Itaque ab anno 1852: et die 9. Novembris nos, diu optato, nostro proprio Vicario Apostolico potiti sumus.

## I.

Vicarii  
Apostolici      Fr. RAPHAEL BARIŠIĆ ab Oćevje: factus specia-  
in Hercegovina, dempta eidem Bosna die 9. No-  
vemb. 1852: Natus in Oćevia 24 Junii 1796: Ordin-  
nem amplexus Seraphicum 16 Aprilis 1817: Professus  
16 Aprilis 1817: Episcopus electus 24. Martii 1832:  
Diakovae consecratus 30. Septem. 1832: Obiit inter  
suos fratres in Conventu de Široki — Brig die 14 Au-  
gusti 1863: et hic loci sepultus: facto corpori ejusdem  
magnifico sepulchro.

Ob celebritatem non ordinariam praefati defuncti  
Praesulis, Gallia eidem 1853 honorarii Praesidis Pii  
Africani instituti gradum contulit. A Turcarum Im.  
1859. Equitis Honores accepit. Tandem 1864. ab  
Austriae Imperatore Coronae Ferreæ II. Class. insignia  
acepit. Iste sane est primus Vicarius Apostolicus in  
Turcia nostrâ, quem Regnantium publici Honores de-  
corarunt.

## II.

Fr. ANGELUS KRALJEVIĆ A ČERIGAJ: promo-  
tus die 7. Decembris 1865: quem faciat Deus diutius  
sibi commisso praeesse gregi !



## IV.

### ORIGO

# Custodiae Provincialis

IN HERCEGOVINA.

---

**V**erus amor, nullis parcens armis, vere omnia vincit. Si retroacta tum civilia, tumque religiosa mentis considerationi exposuero adjuncta, vel mihi met ipsi non solum inconsideratum, sed plane impossibile apparebit, nostra in angusta patria *novum Vicariatum*, novamque Custodiam excitari potuisse: surrexerunt tamen; et facto omne est debilius argumentum. Superius tetigimus, nunceve repelimus, post bellum Viennense, non solum Austriacis Episcopis, sed Franciscanis quoque hue transitus a tureis inhibebatur. Qua de causa, non solum a Bosnensi Provincia Regulari Religiosos, qui in Dalmatia erant, alterius Provinciae nomine, et re constitui oportuit, sed etiam nullum de illis ad nos transmeare, nisi occultissime, saecularibus indutis vestibus, summoque cum periculo vitae. Sic igitur, intercepta communicatione inter Dalmatiā ac Hercegovinam, et manente catholico populo omni spirituali solatio destituto, Hercegovinae vel aliquis misereri sane debuit. Sed hujusmodi heroici, simul ac pientissimi officii partes, nemo erat qui posset praestare, nisi ipsi Confratres nostri, adhuc superstites in tribus Conventibus turcicæ ditionis in Bosna i. e. *Kreševi* = *Fojnica*, et *Sutinska*. Cum porro Kreševensi Conventui Hercegovina proprietor sit, quam aliis duobus, hinc vel tunc deter-

minatum fuit, majori ex parte ex Kreševensi Conventu Sacerdotes ad spiritualia in Hercegovina porrigenda officia transmitti opportunissimum esse; quod et praestiterunt indiscisse usque ad annum 1844. Interim Kreševensis Custodia, ad prospiciendum in spiritualibus Parochiis Conventui addictis, ex Hercegovina aequae ac ex Bosnae sitibus, juvenes inter suos alumnos adsciebat, futurosque Provinciae Patres, Missionarios autem populo, praeparabat sagax. Hinc igitur effectum est, ut plures in Kreševensi Custodia ex Hercegovina oriundos numerare liceret. Verum, singulis eorum patriae amoris scintillam nutrientibus, hisque amica adhaesione coalescentibus, in tenuem desiderii consurrexerunt flamellam: scilicet, construendi in Hercegovina novi Conventus, et *quartae* Custodiae Provinciae addenda. Tali communi desiderio ardentis, plura suppeditabant materiam: patrioticus populus, scholis et omni sacra fabrica destitutus, desiderium vel aliquem resuscitandi Conventum loco destructorum in Hercegovina: difficultates ex Hercegovina Kreševium juvenes tenellos, Conventique tam dissito eleemosynas transmittendi et cum Superioribus communicandi; quibus difficultatibus non erat eximenda Religiosorum frequens amotio incommodissima, nec minus expensiosa in itinere. Quibus etiam ubi junxeris: Vicarios Apostolicos ex Bosnia subinde etiam post lustrum in Hercegovinam descendere, superiorem autem Provinciae vix omni triennio, jam satis rationum habebis, quibus serio impellebamur ad novae Custodiae procreationem; posito etiam alibi prognatos, nostrae patriae atque nos arsisse amore.

Ast desideriis, licet plurimis rationibus convalidatis, valida quoque videbantur opponi obstacula. Sciebamus enim explorato, quod Kreševensis Custodia et Provincia, lubens id nobis nunquam concesisse: nihil a Conventu Kreševensi recipientes, vacuos nos descendere opportebat; nos alioquin pauperes inter populum pauperem, descendere opportebat: Romana Curia, Generalis

Ordinis, utrum nostris accederent desideriis, suspicabamur, timebamus: Gubernium turicum, turcae hujae, novas excitari fabricas religiosas, an essent permisuri, valde anceps erat: item *immanes* sumptus, et nostri voti religiosorum paucitas, in intiuis medullis nos terrefaciebant. Sed identidem amor, qui vel ipsam mortem spernit, obstacula etiam summa haud curat: estque quidem ipse qui nos ab omnibus Kreševii separatos, ad nudum patriae sinum vacuos dicit.

Interim egerant hercegovinenses Patres, medio Nuntio Apostolico, (tunc temporis) Viennae residente; quatenus eorumdem vota S. C. de Propaganda expnens, pro optata Facultate obtainenda, validus existeret intercessor. Is, sub die 31 Decembris 1843, litteris humanissimis ad hercegovinenses datis, eisdem, quidquid ad rem efficere posset, plene pollicetur: quod hercegovinensium spem haud parum alebat.

## Decretum

SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

„ **C**um Fratres Hercegovinenses Ord. Minorum „ **S. FRANCISCI** de Observantia Custodiae Kreševiensis in Provincia Bosnensi Sacrae Congregationi de „ Propaganda Fide exposuerit ad fidelium necessitatibus „ consulendum, quammaxime expedire ut novus in fi- „ nitima regione Hercegovinae suis Ordinis Conventus „ statueretur; ac propterea enixe postulaverint, ut illius „ erigendi facultas tribueretur; cumque eadem S. C. „ eorum votum probari comperuerit a R.mo P. D. „ Raphaele Barišić, Vicario Apostolico, nec non a R.mo „ P. Josepho M.a ab Alexandria, totius Seraphici Or- „ dinis Ministro Generali, Missioni utilitati providere „ studens, censuit, ac decrevit supplicandum SS.mo „ ut petitam facultatem concedere dignaretur.

” Hanc vero S. Cong. sententiam, cum D. Joan-  
 ” nes Brunelli Secretarius SS.mo Domino Gregorio Div.  
 ” Prov. Papae XVI. retulisset, in Audientia habita die  
 ” 14 Jannuarii 1844, SS.mus benigne in omnibus ad-  
 ” probavit, ac per supradictum Vicarium Apostolicum  
 ” Regularis Provinciae Visitatorem executioni manda-  
 ” ri jussit. ”

Datum Romae ex Aedibus S. Cong.  
 de Propaganda Fide die 6 Februarii 1844.

S. PH. CARDINALIS **FRANSONIUS** PRAEF.

L. ♫ S.

**Joannes Brunelli** *Secretarius.*

Hoc Decreto nihil praeciosius ab Hercegovinensibus concipi potuit; et quasi nullae amplius ipsis difficultates minarentur, separationem, et e Kreševensi Conventu egressum alacriter parant.

Anno itaque 1844 die 16 Maji nostrates Religiosi, Professi et Novitii, valedicto antiqua amicitia junctis, Kreševio efferunt pedes, Hercegovinam incunctanter petentes.

Huc consolati apud Vezirium Ali Paša Rizvanbegovič, agunt pro opportuni Firmani benigna emanatione; qui sponte et ultiro illis se promittit: sine ulla solutione Firmanum quoctius obtenturum.

Verum adventus istiusmodi Firmani, ultiro quam conveniebat, videbatur differri. Tunc quidam turca amicum nobis suggestit consilium, ut nempe, Vezirii Filio Rustanbeg aliquod conveniens porrigeremus donum, et tunc quod extemplo Firmanum esseimus habuti. Vel ex necessitate suasione arrepta, et mutuo acceptis aureis, quinque nobilioris conditionis coemimus mulos, hosque paulo post quam dono dedimus, etiam Firmano potiti sumus. Atque sic Ali Paša qui ni-

hil dixerat se accepturum, fecit accipi, et quidem relate ad nos plurimum...

Sed tandem, quamque modo utraque facultate instructi, jam explorabamus, ubi Conventum incipemus aedicare. In domo parochiali de Čerigoj Novitii, Kresčevio translocati, jam extabant, neque de coetero locus pro Conventu opportunus pluralitati Patrum visus est. Quaerebamus igitur instantissime ut alicubi aliquis turcarum locum opportunum venderent; sed nullo pretio obtinere potuimus. Tandem quidam turca, *Amet Aga Kurt*, suae sectae fors minus devotus, nostris precibus, et magis excessivo pretio victus, collem Široki = *Brig.*, sylvas, miserumque agellum, adjacentis antiquo catholiconum coemeterio nobis pretio aureorum 145: pro Conventu et Ecclesia vendidit. Igitur hie loci, (prout inferius constabit) Conventus inceptus, constructusque est; et quamquam, nonnisi pedetentim, et sat tardius perfici potuerit, is tamen erat vel in suis exordiis actualis nostrae Custodiae prima vitalis radix.

Interim dum nos omnibus intensis nervis, et summa animorum concordia in Conventus, et Ecclesiae constructione desudaremus; Ills. D: Barišić etiam pro custodiali superiore nobis praeverat; scilicet a suo ad nos adventu ex Albania usque ad annum 1852. 9. Nov: quemadmodum supra porrexiimus. Verum nos ruminabamur, hujusmodi modum gubernii, esto pro nunc optimi, diu subsistere haud posse; nobis autem qua Religiosis etiam minus favere. Nec longe argumenta quaerenda erant: illo enim spatio annorum in *utroque* Dni: Barišić gubernii, plures scelectiores commilitones morte peremptos illacrymabamur: Barišić autem juvenes ad Ordinem haud habebat admittendi potestatem: atque sic nos ceu nondum natos ad interitum rui, nil dubitabamus.

Privatis in colloquiis, et maxime tempore Congregationum annualium, ad quas aliquos de nobis D: Vicarius invitabat, urgebamus quam instantissime, ut ejus

Illustrissima Dominatio Formalem nostri status determinationem a S Sede exposceret. Is autem nobis referebat, et se egisse et identidem acturum; sed tamen tempus evolabat et anni, nihil autem determinati videre fas erat; et jamjam desperationis moeror nostra praemebat corda. Ubi etenim hodiecum sunt quinque Sacerdotes, etiamnum populi necessitatibus minus satis dare valentes; tunc temporis vix erat unus et alter; et saepius minus valentes viribus. Igitur res erat in extrema ora praecipitii: quare nos (species vocalium) 1852: ab Ill: ad consuetam annuam Congregationem acciti, ab eodem expostulavimus, ut aliquem delectum sacerdotem Romam, pro obtainenda qualicunque demum determinatione mitteremus. Illustrissimus, ponderatis circumstantiis, nostrisque votis; nomine tum suo. tumque Religiosorum, ipsum *scribentem*, Romam ire dimisit. Romae autem extabat systemationis planum jam pridem ab Ill: porrectum, ast non adprobatum; extabat etiam Religiosorum hercegovinensium; sed neque hoc in omnibus ratiabitum.

Pro conciliatione igitur opinionum, proque tandem emergenda systematione, iteratas ad Propagandam Congregationes haberi oportuit.

Tandem post multum in utramque partem disceptatam rem; sequentes nostrae Custodiae systemationis Articulos fas mihi accipere fuit.

## Decretum

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

**C**um Decreto S. Consilii Christiano Nomini Pndo, diei 18 Sept. 1847. SS. Dominus Noster Pius PP. IX Missionem Bosnensem PP. Minorum S. Francisci de Observantia, prout ab Hercegovina distinguitur, ad regularis provinciae jura restituerit, ac visitationem A-

plicam universae Missionis Bosnensis R. P. D. Raphaeli Barišić E.po Azoti antea commissam ad solam Erzegovinam coarctaverit; cumque laudatus E.pus Azoti vicariam potestatem, qua ab Ap.ca Sede in Bosnam simul atque Erzegovinam instructus fuerat, jam ab anno supradicto 1847. quoad Bosnam renuntiaverit, illamque sibi in solam Erzegovinam, quatenus a Bosna distinguitur, reservaverit, tam idem Vicarius Ap.cus quam universi Patres in Erze.na degentes a S. Sede postularunt, ut Ap.cae visitationi finis imponeretur, atque ut Missio Erzegovinensis Ap.co Vicario ac religiosa familia constans ad ordinariam formam atque normam sacr. Canon. quantum loci ac temporis conditio patitur, exigeretur. Quamobrem Em.us ac R.mus D. Jacobus Philippus Fransoni S. C. de P.nda Fide Praefectus, nec non infra.ptus ejusdem S. C. Sec.rius, collatis consiliis cum R.mo P. Ministro Generali Ord. Minorum S. Francisci de Observantia, nec non auditio R. P. D. Raphaele Barišić Erzegovinae Vicario Apco tam per literas, quam per R. P. Petrum Bakula ab ipso Vi.o Apco atque Religiosis Erzegovinibus deputato, censuerunt supplandum SSmo. ut ad rectam Missionis Erzegovinensis administrationem, atque ad regularem observantiam in eadem promovendam, quae sequuntur auctoritate Apca sancire dignaretur, videlicet :

1. L' Erzegovina, attese le particolari sue circostanze, e previa l' approvazione Pontificia, rimane del tutto separata dalla Provincia di Bosnia col titolo di Custodia, governata da un P. Custode avente i diritti e doveri di Provinciale, e da due Discreti (per ora) godenti come Definitori.
2. La Custodia Erzegovinese, una ed indistinta, dipenda immediatamente, come ogni altra Provincia e Custodia dell' ordine, dal Ministro Generale pro tempore: 1.o non pure per le elezioni Capitolari, e di Congreg.ni intermedie, e per l' approvazione delle med.e a norma dei Decreti Apcì e delle costituzioni dell' Ordine; ma

- 2.o per la regolare osservanza ancora in tutto che ecceda i poteri Ordinarj del P. Custode, e dei PP. Discreti, talchè, salvo la prima parte, qualunque controversia si ecciti nella Custodia Erzegovina in fatto di Regola e dei statuti dell'Ordine, la prima cognizione di essa, o istanza sia prodotta innanzi al P. Custode e suo Discretorio, ed in caso di Appello non abbiano a rivolgersi ad altri Superiori e Religiosi semplici della med.a, che al Ministro Generale da cui solo attendersi la decisione, ed uniformarvisi, che sarà sempre legale.
3. A dare il voto tanto nel Capitolo per la elezione del P. Custode e dei Discreti (ar. 2.), che neile Cong. ni intermedie per elegersi altri Officiali della Custodia, previa licenza del Min.ro G.le: (art: prec.) non abbiano ad aver luogo altri per qualunque privilegio personale, da quelli esclusivamente in fuori che vi sono chiamati da lodati Decreti Apcì, e dalle Costituzioni dell'Ordine.

Il Custode però pro tempore dovrà invitare rispettivamente con lettera particolare M.r Vicario; acciò si compiaccia di onorare colla sua presenza i Religiosi ragunati per Capitolo, o per la Con.gne intemedia, e ciò per viemeglio disporre di comun consenso i Parrochi e i Cappellani, e, salvo la libertà degli Elettori, per dare il voto consultivo nella sola elezione del Custode.

4. Il nuovo Convento sotto il titolo dell' Assunta Shiroki=Brigh, ridotto alla migliore osservanza possibile, avuto riguardo ai tempi, ai luoghi, alle circostanze, sia per ora dichiarato Noviziato della S. C. di Propaganda; e non potendosi per ora eriggervi una Cattedra di Filosofia, e di Teologia, potranno i giovani Professi, previa l' ubbidienza del G.nle, spedirsi, come ora, agli studj in Italia, dove, finchè non ascenderanno al Sacerdozio, saranno educati ed instruiti, purchè la S. S. somministri, per quanto sarà possibile, tutto che è necessario per il vestiario, e recesso in Custodia.

5. Per la stretta vicendevole relazione di diritti e di doveri che ha la Custodia Erzegovina col Vescovo Vic.o Ap.co, non dovendo tra i due poteri Episcopale e regolare attendersi alla persona, sibbene alla scienza ed alla edificante morale della med.a, per l' esatto e consciencioso servizio nella cura delle anime a torsi di mezzo ogni abuso o preponderanza da ambe le parti, e a mantener sempre mai l' equilibrio dei misti diritti e doveri su la Missione Erzegovina, tutto sia retto, regolato e governato a norma inalterabile del diritto comune del Concilio di Trento SS. 22. de Regularibus et monialibus Cap. 21 ed in specie dalla Costituzione *Firmandis* di Bened.o XIV, la quale previene e provvede a tutti i casi, salve però quelle modificazioni richieste dalla specialità delle circostanze, per le quali si atterranno all' altra Costituzione del suenunziato Pontefice per le Missioni d' Inghilterra, che incomincia *Apostolicum Ministerium*.
6. Sia nella piena libertà il Vic.o Apostolico, colla buona intelligenza del Custode, di scegliersi tra i Religiosi della Custodia a Vic.o Gle chi più nel Signore gli sembrerà convenire, anche tra i PP. Discreti e tra gli Ex-Custodi, ma non mai il Custode: e solo nel caso che il Vic.o Genle sia attualmente Discreto, possa pel diritto di questa unica rappresentanza entrare col suo Consiglio e col suo voto (art. 3.) nei Capitoli e nelle Cong.ni intermedie, ed in qualunque altro Congresso particolare secondo il bisogno, e non possa negarsi se non per cause prevedute ed assegnate nelle Costituzioni dell' Ordine, di accedervi quando vi sarà citato dal P. Custode, sia con lettera particolare, sia Circolare. Se nel Capitolo venisse eletto a Custode il Vic.o G.nle, s' intenda immediatamente alla sua accettazione rinunciato all' ufficio di Vicario Generale, e sia libero il Vescovo di nominarsene un altro come sopra. In conseguente il Vic.o Ap.co, o Vesc.o, non possa esser mai Custode, e molto meno Discreto, e di tutta la Curia Vescovile solo potrà esser Discreto il Vicario Generale.

7. Il P. Custode e Discreti (da non vi avere inge-  
renza la Curia del Vescovo, se non nel caso e nella  
rappresentanza preveduta nell' art. preced.) sia in Ca-  
pitolo, sia nelle Cong.ni intermedie discutano su dei  
meriti dei PP. della Custodia, e ne scelgano i più pii,  
più dotti e zelanti per presentarli al Vic, Apco (o Ge-  
nerale) a Parrochi delle varie cure della Missione Er-  
zegovina, e sia libero il Vescovo (o il Generale) di quel-  
la libertà che gli concede il diritto comune, e il debi-  
to dello zelo pastorale di non li dovere approvare o  
rigettare per la *Persona*, come neppure proporsi per  
questo basso riguardo dal Discretorio; ma unicamente  
ed esclusivamente proporsi dal primo, ed approvarsi  
dal secondo per le qualità religiose e scientifiche, che  
li rendano degni pastori secondarii nella salute delle  
anime. La durata del Religioso nell' officio di Parroco  
in una Parrocchia si rimette alla prudenza del Vico. Apco,  
e del P. Custode col Discretorio ; ma non sia tale du-  
rata meno di 6. anni, salvo la libertà di ambo i Po-  
teri, come nella Costituzione *Firmandis* ed *Apostolicum  
Ministerium*.
8. Se tra l' anno succeda morte o rinunzia di qual-  
che o più Parrochi, od anche privazione, sia cumula-  
tivamente da buoni Fratelli, sia a senso del § II. della  
Costituzione *Firmandis*, il P. Custode e i suoi Discreti  
si riuniscano in Congresso particolare per presentare  
altro idoneo Religioso (art. prec.) al Vicario Apco.
9. Sarà cura del P. Custode l' adoprarsi perchè i  
Parrochi, e Coadjutori e ogni altro Religioso, secondo  
la volontà <sup>f</sup>del S. Fondatore, *sanctae orationis, et*  
*devotionis spiritum non extinguant*, e, per rieccitarsi  
a vero Spirito religioso, attendano ai ss. Spirituali e-  
sercizj una volta all' anno, Alessandro VII. *Cum sicut*,  
e se loro è possibile, negli otto giorni precedenti la  
solennità dell' Immacolata Concezione, o nei susseguenti  
la meda., secondo che consentirà la specialità della  
Custodia e Missione.

40. I Parrochi e Coadjutori, ed altri Religiosi Professi della Custodia e Missione in servizio delle cure rammenteranno l' eredità dal Serafico Padre lasciata ai suoi figli, essere l' altissima povertà.

Quindi, lasciando nel loro vigore le concessioni Pontificie per la specialità del luogo, li esortiamo a provedersi del solo bisognevole alla vita, e tutto il superfluo sia mandato al Convento, a cui è soggetta la Parrochia. Il P. Custode poi e Discreti, con buona intelligenza del Vico. Apco, sistemeranno ciò, che si dovrà lasciare nelle case delle cure in caso di mutazione di soggetti, e ciò che potrà portarsi via al Convento come sopra.

41. In caso di controversie Parrochiali, o estranee all' ordine regolare, la prima cognizione o istanza secondo il diritto comune si deduca al Tribunale del Vescovo, o suo Vicario Generale, e in secondo grado alla S. C. di Propaganda. Quanto poi alle querele o giudizii criminali dei Religiosi si osserverà perfettamente la costituzione *Firmandis* §. 8., informandone per parte dei Religiosi il Ministro Gle. *Apost. Minist.* §. 24.

42. Il Sigillo della Custodia sotto il Titolo dell' Assunta presenti questa iscrizione = *Sigillum Custodiae Ercegovinae Missionis Regularis Observantiae S. P. N. Francisci*.

43. Il Custode sia tenuto di visitare secondo le costituzioni dell' Ordine, riservata la terza visita al Ministro Generale, tutti i Conventi ed Ospizii dell' intiera Custodia (Apicum Minist. §. 49.) ma, in quelli ove sono le cure, abbia ad osservare nei termini precisi tutto scrupolosamente, che prescrive la lodata Costituzione *Firmandis* §§. 7. 8. 9. 10. Apicum Minist. §. 17). nel corso dell' art.o 5. Il Vescovo o Vicario Apco faccia, pure come e quando crede la sua visita nelle Parochie o cure nei termini med.i dell' encomiata Costituzione *Firmandis* : ivi sono sapientemente distinti i soggetti e gli oggetti da visitarsi relativamente ; e la medes.a direttrice di ambo i poteri in questo negozio manterrà mai sempre fra loro la pace.

14. Passato appena alla rimunerazione eterna delle sue fatiche il Vicario Apostolico; il Padre Custode riunirà i suoi Discreti, il Vicario Gle. e tutti i Parrochi e Curati o personalmente, o per scheda; e, dopo maturo, serio e conscienzioso consiglio, a voti segreti, sceglieranno 3. Padri, degni di succedere al defunto; e questa terna manderanno alla S. C. di Propaganda ed al Minist. Gle; affinchè questi possa esser pronto a qualunque richiesta, e comando in proposito della S. C. di Pnra; che se dentro otto giorni non sarà combinata dai PP. la terna, il Custode sia tenuto di avvisarne la S. C. ed il Ministro Genle, il quale adoprerà d'ogni miglior consiglio ed accortezza per scegliere ed umiliare alla lodata S. C. tre specchiatissimi Individui dell' Ordine: la S. C. però si riserva il diritto non solo di prescegliere nella terna quello, che crederà più idoneo, ma ancora di prescinderne.

Haec porro, cum infrascriptus R. P. D. Alexander Barnabò S. Consilii Propagandae Fidei a Secretis SS. D.no N.ro Pio PP. IX retulisset, in Audientia habita die 45 Augusti 1852., Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, rata habuit, atque in Erzegovina tam ab Ap.co Vicario *pro tempore*, quam a Religiosis ad eam Missionem pertinentibus in perpetuum servari mandavit.

Datum Romae ex Aed. dictae S. C. de P. Fide  
die 3. Octobris 1852.

S. PH. CARD. FRANSONI PRAEF.

L. ✠ S.

Acceptis in Hercegovina praelaudatis articulis, aliisque Ministri Generalis opportunis instructionibus, nosmet die 9. Novem. 1852 primum Formale Capitulum celebravimus; tumque laetissimi Custodiam Provincia-

lenti proclaimavimus. Succrescente porro vel aliquantis per Religiosorum numero, Ad. R. P. Andreas Karačić, 1856, die 4. Aprilis, in secundo Custodiali Capitulo, Praesidis et Commissarii Gen.lis Visitatoris partes agens, ad majus Custodialis gubernii decus ac commodum, Generalis Ministri Auctoritate, alios duos Custodiae Discretos adjungi posse, et debere edixit. A secundo igitur nostro Cap.lo *quatuor Discreti Cust.les esse coeperunt.* Itaque a praecitato tempore, haec nostra Custodia more aliarum in Ordine Provinciarum regitur in omnibus; excepto quod *Custodem* in Provinciis inter Definitores existentem, habere non potest. (Vide quoque Breve Compendio storico di Ragusa 1853).

Sic igitur nos, Deo favente, jam firmato inceden tes gressu, dubio abest, quin antiquae nostrae Matris Bosnensis Provinceiae, bonas consuetudines, religiosas que servationes ad proxim nostram sumere inceperimus. Sed in nostra Custodia, novitus instituta, non modo Ministro Generali, et S. C. Prop.dae; Custodibus quoque ac Discretis indispensabile plane fuit, plures aut antiquas renovare ordinationes, aut etiam pro loco et tempore novitus eas excudere; praesertim quae Religiosa hospitia concernunt: item Religiosi Veletudinarii statum et directionem spectantia; Fabricae quoque, atque Sacrariorum cassam, tum illam Conventualis Discretorii; et alia quam multa pro interna Conventus directione, tempestive, et oportune ordinata, jam non habent hic locum, nisi ut commemorentur et quisque lector colligere possit, etiam nostram Custodiam nostri Instituti observantiones Provinceiae strenue aemulari. Quod ut et nostri posteri, primis hujus Custodiae Fundatoribus grati, semper plus in Religiosis vivendi regulis adcre scant, summis desideriis ipsis adprecor.

Custodes  
Provincia-  
les in  
Hercego-  
vina.

•

FR. ANGELUS KRALJEVIĆ,  
electus in primo Capitulo Custodiae 9. Novembris 1852

**II.**

**Fr. ELIAS VICLOŠEVIĆ :**  
**electus in Capitulo Custodiae die 4 Aprilis 1856 :**

**III.**

**Fr. ELIAS VICLOŠEVIĆ :**  
**Reelectus in Capitulo Custodiali die 19. Maji 1859.**

**IV.**

**Fr. ANGELUS KRALJEVIĆ :**  
**electus in Capitulo Custodiae die 23. Aprilis 1862.**

**V.**

**Fr. PETRUS KORDIĆ :**  
**electus a Definitorio Generali, praevia facultate S. Sedis, 20.  
 Sept: 1865. qui nunc gubernat, cujusque laboribus abundan-  
 tissime benedicat Deus !**



## V.

# De Origine Novi Conventus

IN HERCEGOVINA.



Situs  
Descriptio      **E**st quasi in meditullio nostrae Missionis collis Široki-brig (hoc est, *collis amplus*) vulgo vocatus; ab oriente ad semi horam protensus, versus Blato: a meridie non nihil elevatus, versus *Mokro*, ac Čerigaj parum extenditur: ab occidente etiam medium quadratum protensus, ad torrentem Ugrovača usque: a septentrione autem item, ad deflectentem Ugrovača et flumen Listica habens contiguos circa quatuor centum passus declivii, descensibilis, et minus praecipitosi.

Verum omnes illae collis protensiones, excepta ista ultima, haud quaquam sunt nostra in manu, sed in designato elevatiore loco (dixi nos emisse 141 aureo) habemus extensiones a meridie ad torrentem, et flumen, circa medium milliarium italicum; et ab oriente ad occidentem circa milliarii quadrantem.

Fere in centro hujus extensionis est jugum, aut mavis dorsum collis, in quo antiquum catholicum coemeterium situm erat.

Verum 1845, ementibus nobis praecitatam collis partem, ipsa fere tota vepribus, cespitibus, et ignobili sylva consita erat. Gremium autem terrae loci, avara laborat sterilitate; et praesertim jugum collis vix tenuissimo terrae stratu opportum, ad immensam profunditatem continuam lapidis concretionem dimittit: adeo ut novae arbores sine ingestionibus terrae, nullatenus crescere possint. Toto enim hoc annorum spatio, a quo

situs nostrae subest potestati, in summitate, circa Conventum et ecclesiam, numerosissimis occupati sumus arborum implantationibus; sed tamen adeo exiguo emolumento, ut si antiquae arbores aceris, querci, carpini, et fraxini non subsisterent, omni ventui expoxitus Conventus pateret. Sed redeamus ad locum silvestrem, et incultum pro collocatione Conventus emeptum. (Superius dixi tunc temporis fuisse nobis impossibile a turcis feliciorem coemere locum).

Subtus collem ad meridiem, inter silvas eminebat una quercus: (ad angulum occidentalem horli, excissa) et sub illa, noster *primus* Guardianus P. Angelus Kraljević, suam stationem fixit: ibidemque sine lecto, per continuos quoquor menses substitut, quounque miserabilis domus (de qua hodie neque rudera manent) pro Religiosis strueretur. Ingressi, aut potius acervati et stipati, tam nos quam hospitantes, non est facile relatu, quam arete angustiis praemeremur loci: saepe enim contingebat, deficiente in domuncula solo, in stabulo, (etiam tunc praeparvo) aut sub arboribus nos somnum capere; et cui contingebat unum habere centonem quo tegeretur, is jam lectis ternis bene provisus censebatur. Angustiam loci, etiam omnium aliorum domesticae suppelletilis caritas concomitabatur: etenim Kreševio nihil nos tulisse jam dictum est: nudi ergo nuda cum miseria luctari die ac nocte debuimus; neque est qui sibi legendo ad verum imaginetur, quantas tunc temporis miseriaram amaritudines vorare debuerunt primi hujus Conventus Fundatores. Sed cum talia ex rei natura, et circumstantiis debuissent sequi, alioquin nihil miraberis illa accidisse: sed potius est quod vel maxime admireris, divinae vocationis gratiae miraculo, ac patrii amoris portento adscribas; illo omnis generis angustiarum tempore nosmet fraterno amore, concordia, religiosa confidentia, hilaritate eo compactos, et suffusos fuisse, ut nihil abundantius desiderari posset. Inter nos omnes, vix erat unus, qui de

successu futuro dubius, tristas mente cogitationes volveret, minusque comuni voto inhaereret. De coetero, quisque nostrum certatim contendebat, et gestiebat, quatenus alter alterum superaret in conferendis tum communitati necessariis, tumque in praeparandis pro novo Conventu materialibus: hocve adeo sponte per nos siebat, ut alii non tam lubentes ad otium et substantiarum accumulationes advocarentur, ac nos ad labores, et impendia currebamus. Ita igitur, ex illa angusta domo abundantissime dilatato amore, et fervore nostro, materialia pro ecclesia ac Conventus parte, qua majori poteramus celeritate, parabamus. Etiam catholicus populus incalluerat, ut ejus quoque utilitate nostris donaremur intentis: ideoque et is, et si de coetero inops, in materialibus sane non nihil contulit. Atque sic ubi primum vel partem materialium ad locum conferre datum fuit, labori operosac manus admotae sunt.

Die itaque 23. Julii 1846 praesentibus, fere omnibus, tunc temporis in Hercegovina extantibus Confratribus, adstante innumera, p[ro]gaudio gestiente populi turba, Illustrissimus Dominus Barišić, Ritu S. R. Ecclesiae, primum fundamentalem lapidem sacrans novae erigendae ecclesiae conventualis, Sanctissimae Assumptionis B. M. Virginis honoribus votae, supposuit.

Quemadmodum per quatuor saecula populus noster neque ecclesiam, neque ejusdem fundationis caeremoniam viderat, sic etiam per tot saecula nunquam in Hercegovina consimili laetitia diffusa est.

Interim penes omnium nostrum fervidissima desideria, concordiam, et aemulationem, haud non clare percipiebant Patres se, suumque miserabilem populum, tot gravibus exactionibus turcicis exhaustum, nullimede optatum opus ad terminum perducere posse. Quare et si penuria saeerdotum consicerentur, coacti tamen exigunt P. Philippum Corić, eumque arduum opus labenter acceptantem, in Italianam, conquirendarum gratia e-

leemosynarum mittunt. Is solers, et Deo piorum corda sua movente gratia, biennali sua circumitione nobilem in parato aere summam procurat, sacraque suppellec-tili ecclesiam haud parum ditat: et sane adhuc multo plura pro nostris necessitatibus acquisivisset, nisi tunc in gratia rebellionum turbationibus fuisse praepeditus.

Austriae Imperator ex suo peculio, item Episcopi ejus in ditionibus existentes, ordinatis collectis pro Hercegovina, etiam juvamem tulerunt. Ipse quoque *scribens* Roma redux, (1852) Tergesti a benefactoribus, etiam Hebraeis et Acatholicis, egregiam summam pecuniae obtinens, secum in subsidium fabricae tulit. Sic igitur, et si pedetentim, labores tamen fabricae, opportuno tempore, nunquam interrumpebantur. Et ubi, ut non semel omni extraneo subsidio destituebamur; datum autem fabricae ex procrastinatione immineret, congregabamur, et absentes litteris excitabamus atque nostri personalis vestiarii summulas jungentes operi impendebainus: adeo ut saepius contingebat privatos etiam summe necessariis carere, communi necessitati dum subvenire adlaborarent. Sic igitur, nec aliter, talibusque mediis, laboribus, sudoribusque nova ecclesia, novusque Conventus in Sirokibrig, hostibus etiam turcis eversionem minantibus, brevi annorum spatio, surrexerunt. Verum integrum Conventum, post ecclesiae errectionem, juxta sequentem descriptionem, ad semel aedificatum comparuisse minime credas; sensim enim, de anno in annum, faciendas partes partibus factis juxta arctas circumstantias mediorum adnectebamus: contenti ab initio vel quatuor cubicellis ecclesiae adjunctis: quo in negotio, an magis perseverantiam Patrum, an potius patientiam suspicere debeas, tu ipse dijudices.

Sed, mi lector, dum audis nos debilibus, et incertis mediis brevi tempore ad fastigium fabricam duxisse, nolim cagites; aliquid etiam parvi nos effecisse; non sic sane: et ubi meae narrationi insisteris, vel ipse altiora cogitabis.

## VI.

# Conventus, et Ecclesiae

### DESCRIPTIO:

ITEM ALIARUM CONVENTUALIUM FABRICARUM,  
HORTORUM ET CLAUSURAE.

Eccelesia.

Firmanum Imperiale, (cujus fecimus mentionem) pro nostra struenda ecclesia, longitudinem, latitudinem, et ipsam altitudinem determinatis mensuris praescribebat; neque latum unguem ab assignatis terminis elongari, sub comminatione destructionis, permittebat. Erat porro in Firmano ecclesiae longitudo cubitorum 44: latido vero cubitorum 24: atque ideo nostra ecclesia, nobis frustra invitis, est sane parva, neque medietati concurrentis populi sufficiens.

Conven-  
tus  
Descri-  
ptio.

Conventus autem, (cujus fabricationi ut plurimum praeerat P. Philippus Ančić) cuiq. Firmanum nullas praefixerat mensuras, pro nostris circumstantiis sat abundans est: habet quique duos tractus, orientalem, atque occidentalem, triginta duorum metrorum longitudinis; latitudinis autem novem: tractus autem meridionalis etiam longior est, scilicet quadraginta trium metrorum. Ex hoc tractu recte ad meridiem exproprietatur neoadnexa ala, Novitiatum atque Culinam continens: estque longitudinis metrorum 25, latitudinis vero 10. Atque sic universim nos habemus in Conventu longitudinis, ceu unius muri, metros 164. et latitudinis 49: quas longitudines ubi aliquos quadruplicaveris, alias triplicaveris, septingentos viginti metros universalis longitudinis Conventus obtinebis. Latitudes vero quoties multiplicandae essent, sine magna molestia, nec ipse praesens enumerarem. Porro tractus

duo, occidentalis, et orientalis, sunt ad duas elevatas contignationes; tractus vero meridionalis, cum subtus vinocellario, atque horreis, ultra quam ad tres magnas contignationes.

*Necessaria* quoque ab occasu solis ascendentia ad ambas contignationes, sunt quidem juncta Conventui, sed septem metros exorrecta, constituant distinctam a Conventu fabricationem, et expensas. Igitur Conventus noster, demptis duabus alis Novitiatus et *locorum*, magnum efformat quadratum, a septentrione habens ecclesiolum adhaerentem. In toto autem nunc subsistente Conventu, habemus cellas habitabiles 65.

Refectorium autem pro numerosa communitate, et officinae, aliqui supponuntur esse. Est porro Conventus per integrum solidissimae constructionis, neque hucusque vel minima scissura apparuit in toto lapideo mororum circuitu: est autem tectus nostralibus tequlis lapideis.

His, ubi addideris Ecclesiae non ignobilem supplectilem, utensilia, et mobilia caenobitica, utique ad magnam expensarum summam ascendes. Sed nondum hic expensarum finis: in medio Claustrum adest cisterna, alia extra claustrum, lato sensu dicta, ast in clausura utraque revera magna: puta, longitudinis cubitorum 24. latitudinis 12. et profunditatis cubitorum 16 —. Tertiam quoque pariter intra clausuram habemus cisternam, praedictis minorem. Dictae cisternae sine ullo populi juvamine sunt aedificatae, deserviunt autem tum nobis, tumque populo: has etiam cisternas parum constitisse reputes. Sed neque hic terminus: nos in filo muri clausurae habemus scholasticam popularem domum longam cubitorum 23, largam 16:, altam cubitorum 20; item decens cubile pro honestis hospitibus et benefactoribus.

Tandem *octo* commodas officinas, conductas saecularibus maercium venditoribus, lucro ecclesiae ejusque supplectilis sacrae. Sed ista quoque omnia dum exur-

gerent, haud parum impensum est. Interim nondum finis: adsunt quoque duo stabula simul, ac foenilia; unum longum 18. brachia, largum 10. altum brachia 9. aliud longum brachia 21. latum 14. altum 10. brachia.

Habemus quoque clausuram, lato sensu dictam, hoc est murum circumcingentem omnes enumeratas fabricas, cisternas, silvam, pratum, et hortos.

Integralis longitudo hujus lapidei muri est nastralium brachiorum (*omne brachium est 26: unciorum venetarum, et ita ubique intellige ubi de brachiis dictum repereris*) 2346 altitudo autem muri exaequans illam humeri alti hominis.

Sed ultro: nos habemus abundantes hortos, (ob defectum aquae vivae minus foecendus) hosque non solum multis tractibus transversalium terram sustinentium murorum trajectos, sed ferme velut in silice, terrae altis aggeribus efformatos: qui etiam haud parum impendii absumserunt. Tandem sub horto a meridie prostat pratum, vel mavis sativum terrenum, *quindecim jugerum*: hocve ferme ad ultimum quadrantem liberatum a silvis, vepribus, cespitibus, lapidibus vivis, et lapidum magnis antiquis acervis: hocve pariter non minore solitudine quam expensa nostra. Sed neque partem orientalem clausurae, a nemore occupatam penitus transigemus: circa enim ejus silvas expurgandas verum est nos multum non consumsisse pecuniae; sed etiam verum est nos in eadem silva nostris propriis manibus eo laboravisse, ut hodie intuentem plurimum delectent. Ad ingressum torrentis Ugrovača in Lištica amnem, habemus 3 jugera terrae, alioquin prius incultae, nunc autem muro circumseptae, cuique inaquandae, plusquam ab uno milliario aquam deduximus. Tandem molendini acquisitione, quorumdam sativorum, aut vitibus implantatorum terrenorum, sustentandae Comunitati pernecessariorum, etiam est non levis expensa.

Igitur ne multa alia minora enumerans taedio

aliquem afficiam, hoc unice lectorem rogo, ut recognitet quid nos tunc habebamus, dum primus noster Guardianus sub frondosa queru omni inopiarum genere conficeretur, quidque nunc post annos viginti habere videt: et facta comparatione inter *nihil* et *tam multa*, divinae Providentiae apertum miraculum neget si valet. Verum ne cogitatio cuiquam mentem subeat, nos omnes experuisse vires ac impensas circa solum nostrum Conventum, et ad nos pertinentia; ego ubi singulatim de domibus parochialibus egero, haud non indicabo quid in unaquaque *hoc eodem* annorum spatio, nostra opera existentia donatum est, aut donari inceptum. Pro nunc satis tibi esto, nos, dum descenderemus Kresvio, nullam ne modo ecclesiam, sed nec vel unicum licet perexiguum reperisse sacellum; nunc autem ubi tibi de novo condita indicata constiterint, jam tunc poteris tibimet persuadere solo neutquam Conventu nos occupatos fuisse: sed videamus adhuc quaedam conventionalia.

**Disciplina domesticā** In hoc nostro Conventu regularis disciplina, ut moris est, *nostrisque*, ac Pontificum constitutionibus conveniens servatur: cui praeest Custos, Guardianus, et conventuales Discreti; item Vicarius Convetus, atque alumnorum Magistri.

**Scholae;** Ludos autem litterarios in Conventu habemus de et sustentationis lingua latina, humanioribus studiis, Philosophia ac Theologia. Philosophiani ac Theologiam hucusque non erat defectus. moris apud nos juvenibus Religiosis tradendi, sed ii ad charitativos Confratres in Italiam mittebantur; nunc autem, nostra mala fortuna, eversis in Italia nostris Conventibus, fratribusque dispersis, jam non est ubi nostros Juvenes extra patriam instrui curemus: et in hoc revera nostrae, nostrique totius populi cardo rei vertitur. Etenim, non habentibus nobis media sustentationis, nostro in gremio completis studiis, juvenes, educandi; deficiente autem loco aliquorum illos mittendi, jam non videmus viam, qua totius Missionis subversio

declinari possit. Nunc enim paucos habemus alumnos studiis addictos, videlicet 22: et tamen cum penuria, et debitibus luctamur; sed ubi ex necessitate indeclinabili, etiam triplicatus fuerit alumnorum numerus, introitus autem idem fuerint, non erit certe possibile, ut sustententur.

Quapropter enixe rogamus quosquos charitas catholica urget, media autem ditant, ut nobis in ista gravissima angustia praesto sint. Diceamus etiam alibi, nos et ob hujus Conventus minorem necessario amplitudinem, et aliis justissimis de causis, hoc tempore, alterum in *Humae* incepisse studii, vel collegii Conventum; et dato quod ex collectis illum perficeremus, quid proderit, ubi sustentationis media non adfuerint?

Alibi in seminariis alumni vel aliquid pro victualibus annuatim conferunt; apud nos autem neque habent unde conferant, neque usus est vel obulum conferendi; et dummodo Missioni prospicere velimus, pluribus annis plures pueros gratuita instructione non modo, sed etiam victualium porrectione sustentare cogimur; et ulti nam non saepius sine Missionis emolumento! Etenim frequentius contingit, ut postquam quatuor, et quinque annis, nobis subtracta alimenta pueris derelinclus, ipsi tune non nihil instructi et saginati, domum paternam repeatant.

Inde intelliges, nos, et si non tam pro gravi Missione, plures tamen quam secus expediret pueros aggregare debere; scilicet, ut ex multis religioso statui valedicentibus, residui nostris necessitatibus sufficientes esse possint.

**Familia Conventus.** Verum etiam dato, praesente familia nunquam numerosiorem exquiri; tamen etiam ista, non sane mihi videtur adeo, paucis annuis quod indigeat impensis. Etenim hodie in complexivo conventualis familiae 55. personae numerantur: hospites autem habere quotidie cordicitus gratulamur. Interim Conventus superior hospitibus honestam tractationem, nec non Familia

praestare haud non debet. Item Religiosae familiae preter victum, et omnia necessaria, annum quoque personale Vestiarium singulis professis tribuere tenetur.

Sic enim fieri necesse est, sieve status nostri Franciscanici leges exigunt. Sed rogo, de anno in annum an putas parvam praefatis impendi summam?

Ast neque in solo Conventu nostrae omnes terminantur expensae: etenim praeter plurium fabricarum reparations, nos stabula quoque, et plures equos ephiales, ac clitellares pro Missionis, Conventusque usu, omnino cogimus habere: praeter alia Communitati necessaria armenta. Pro pabulo, proque equorum apparatibus, an putas nos annuatim minus expendere, quam alibi pro numerosa conventuali familia?

Introitus  
Conven-  
tus.

Sed si de expensis constat, etiam de introitu constare debet: et hoc certe; licet nostrum aut alienum aes expendamus. Interim, ne ex magnis expensis magnum etiam introitum nostrum deducas, haec tibi candide referam.

Nemo nostrum bona immobilia possidet; sed neque mobilia, nisi quod illis ad superioris voluntatem uti queat. Communitas autem, ex indulto Apostolico, (de duodennio in duodennium confirmando,) potest quidem possidere; et de facto quidquid hucusque licitis viis acquirere potuit, illud sane possidet; Administro pro tempore Guardiano, vices agente Syndici Apostolici. Attamen, ut nudam apertissime fateamur veritatem, quidquid suis de possessionibus annuatim retrahit Conventus, id sustinendis ejusdem expensis vix pro uno mense sufficeret.

Eleemosynae pro sacris celebratis, aliqui sunt introitus: sed primum animoadverto; Sacerdotes in Conventu haud esse omnes; secundum autem istam eleemosynam unius Lirae austriacae (numquam majorem porrigunt) non esse tam pinguem, ut ex illa multum nobis promittamus. Conventus habet sibi addietam Parochiam. Guardianus enim noster etiam Parochus est; et Jene sic. Ast quemadmodum nullus nostrorum Pa-

rochorum juribus parochialibus stolae fruitur, sic neque ille conventionalis: omnia enim per nos fieri debent gratis omnino quocumque titulo. Quid igitur? Conventuales parochiani solent in materialibus libere et spontanee sustentationis subsidia conferre; hoc est, suo pro lubitu, nobis eleemosynas tribuere: certum. Sed esto omnes porochianos magna aestuare charitate erga suos Patres et Pastores, non ne pauperes quales sunt, parum quoque porrigenit, et accedente annuali defectu frugum, non ne etiam nos dimittent prorsus vacuos? Tandem singuli Parochorum ad sustentandam in Conventu juventutem concurrere debent: hoc quoque certum est. Ast ubi Parochus a suis parochianis parca exceperit manu; cum Conventu certe abundans esse non poterit. Atque sic examinatis omnibus nostri introitus mediis, non tam debilia quam incertissima sunt.

Itaque velit, nolit aliquis credere; nos in exploratis habemus, sine alienis auxiliis, nostris solis introitus mediis, juventutis educandae sustentationi minime rerum sufficere posse. Aeconomia stricto in sensu uitimur, parce viventes, paucis sane contentamur; sed tamen vel ipsis summe necessariis non sufficimus.



# VIII.

## NOVAE

RESIDENTIAE EPISCOPALIS IN MOSTAR

## ORIGO.

### Historia.

**A**ntiquitus Mostarienses Antistites ubi praecise suam haberent Residentiam, in Conventu S. Antonii an seorsum, nulla extat memoria. An etiam illi priores Episcopi nostri suam haberent Cathedram ecclesiam, vel potius illa conventuali uterentur, hoc quoque alto praemittit silentio, tum historico, tumve traditionali. Sed neque mirum hac in civitate multo minus quam alibi traditiones rerum nostrarum conservatas fuisse: etenim centum retro annorum non modo nulla hic reperiebatur catholica antiqua familia, sed neque advenae catholici, nisi perpauci: et quidquid suo loco videris a me in hac civitate catholicarum numerari familiarum, nullam antiquorem uno saeculo habeto. Igitur quemadmodum hic, excedente turcico furore, Catholicismus intersectus fuit, sic quoque religiosae traditiones interierunt. Verum ad excitandum et fovendum catholicum ignem dudum sopitum in Mostar, nihil tam opportunum videbatur, quam si ibidem episcopalis sedes restitueretur. Hoc exemplo in eadem civitate existente, abunde confirmare erat; videbamus enim ex eo vel maxime, quod grecoschismaticorum Episcopus in Mostar sedem fixisset, suam gentem et numero, et substantiis magis, magisque in dies eminere; nostram autem velut inopem orphanam languescere. Etenim pauci illi Catholici non modo Episcopi praesentia non animabantur, sed vel ipsos Missionarios, quatuor horis distantem suam stationem habentes, raro, cum periculis, et

timoribus inter se habere poterant. Non multis retro annis, nostra aetate ac memoria, in hac ipsa civitate palam et de die, et aliquo turca non comitante, catholicos nostros invisere nobismet nefas sane erat.

Res igitur tum religiosa, tumque civilis gentis nostrae vehementer expostulabat episcopalem in Mostar Residentiam. Sed frementibus rabie turcis adversum catholicos, magis adversum sacerdotes, et maxime adversus Episcopalem characterem, quis unquam speravisset Residentiam ibidem aliquando erigendam fore!

Adfuit tamen, et adfulsit divinae inscrutabilis Providentiae juvamen; ex quibusque homo nihil noverat sperare, novit Deus ex eisdem mira producere. Non enim coeco et vano casu Illuss. Dom. Barišić Hercegovinae Apostolicus Vicarius constitutus est: Deus enim areano suo consilio hasce praeparaverat vias: quae etsi multis humana opinantibus, malae viderentur; noverat tamen Deus iis quoque stupenda educere bona.

Separari enim Hercegovinam a Bosna, et illi aliquem non dico minus zelo refertum, sed etiam animi robore, constantiae fortitudine destitutum, aut minus habentem praefigi; mehercle aut parvae utilitati nostrae, aut nullae sane fuisset. Duo igitur, Vicariatus divisio, et hominis animosi praefixio, expostulabantur; et haec praecise duo uno tractu placuit divinae Providentiae connectere.

Etenim Dominus Barišić, praeter quod pro Vicariatus divisione haud parum sudavisset, multaque obstacula superare debuisset; multo majus eum manebat certamen, quoisque in Mostar Residentiam fundasset. Sed strenuus vir quaeque molitur, et audet: Barišić enim erat tam heroico donatus corde, ut nulla pericula nosset timere.

Rarae matres foecundantur tam strenuae fortitudinis animi filiis, ac illa Barišić foecundata illo fuit. Sed nemo diu fortis nisi etiam prudens: Barišić proinde, qui experto noverat Mostariensium turcarum phanaticum

furorem reprimi haud posse, ni Imperialis accederet manus: hanc sollicitus implorat. Impensis et si gravibus, haud parcit; noverat enim ille magnam auri vim; qua comite, struendi sibi in Mostar domum, Imperiale haud non obtinet Firmanum. Sed hoc etiam ad manus Decreto, an putas Mostariensium turcarum concussum furorem resistantiae? Neutquam: imo tunc vel maxime ebulliunt in iras, arma capiunt, Episcopo mortem minantur. Ast ille impavidus arreptam terit viam, mori promptus, aut intento potiri.

Curaverat interim perspicax Antistes ab Imperatore Vesirio Alipaša stricte praecipi, ut Catholicorum Episcopo in Mostar locus pro extruenda domo cederetur, ipseque Vesirius nullis mediis parcens, pro domus constructione serio adlaboraret.

Sed quibus auri summis Episcopus, aut Vesirius pro struenda domo a turcis hujatibus fundum emere poterunt? nullis certe: incassum omnes mundi thesauros obtulissent. Turcae erant obstinatione tenacissima obstricti; neque in habitata civitate locum obtinere fas fuit. Aderat quidem pars parva terreni ineptissimi in valle Vukodō, jam pridem miserabili pretio empti a Patre Stephano Karlović, Gradacensi Parocho.

Cum igitur Episcopus nullibi pedem figere posset, domum tamen in Mostar fieri omnino vellet, *Vukodō* designare coactus fuit. Rumorem hujusmodi turcae avida excipiunt aure; vocesque tumultus, terroris ac minarum sic spargunt: se potius omnes necem subituros ad unum, quam *infidelem domum* fieri permittere velle. Excipit etiam talia Barišić, ast minime pavet: et acceptis ad decem vesirialibus armatis viris, per medium civitatem, ab uno ad aliud traversalis lineae punctum, inter civium arma ex fenestris prominentia, Barišić impallidus transiens, in *Vukodō* dirigit gressus.

Ibidem adveniens, dum omnes ejus pallerent periculo, ipse nihil pallens suo; alaceer ligonem arripit,

novaeque residentialis domus fundamenta designat. Tunc Vesirio, vesirialique homini, fabricarum inspectori. domus suae executionem, velut imperiale opus stricte commendans, *Seonicam* in Duvno incolumis, et vero triumpho coronatus, rediit.

**Tempus fundatio-** Anno itaque 1847 Episcopalis Residentiae in Vu-  
kodō fundamenta jacta sunt. Et revera, non sine simi-  
nibus. litudine, potest hic illud usurpari, quod una manu opi-  
fices gladium tenerent, alia autem opus faciebant; ete-  
nim, nisi jugis Vesirialis hominis assistentia adfuisset,  
haud quaquam vidissemus consurrexisse domum. Sed  
portenta sunt ista magni pectoris, magno divino juva-  
mine roborati!

**Descriptio topogra-** A centro civitatis, infra meridiem et occidentem,  
ad distantiam mediae horae, est locus vulgo dictus *Vu-*  
*phica kodō*: (*vallis lupi*) ab extremis autem civitatensibus  
loci. domibus decem minutis distans. Vallis ista ab oriente  
magno colle *Hum* obsternitur, qui elevata et continua  
juba, totam vallem, etiam a meridie et occidente, cir-  
cumsepiens, fere a sola medianoche angustam sinit pla-  
nitiei, et civitatis intuitionem. Est ergo in concavo,  
trilateraliter a colle obducto; ascendentem leviter a  
civitate habente ingressum. Itaque, excepto vere ac  
aestate, solis radiis paucis horis delectamur. Porro do-  
mus residentialis est adhaerens decliviei vallem cingen-  
ti ab occasu solis, et est veluti in intenebricoso sinu  
vallis angustae, deponentis saepissime praecipitosum  
torrentem: qui hortum nostrum, viam ducentem do-  
mum, item vicinitates satis molestat. Collis autem un-  
dique cingens, si salviae abundantia non tegeretur, ni-  
hil aliud intuereris, nisi horridas rupes. Non multo  
pridem tota vallis magnis quoque arboribus ditabatur;  
sed hodie fructiferis exceptis, nec locus dignoscitur ubi  
quondam fuissent arbores. Fundus autem terrae, cui  
nostra domus, et alia aedificia insident, item hortus ac  
vites, est qualitatis alioquin infeliciis; nempe, ex conge-  
riebus arenae ac lapidum a torrente dejectorum; et

quidem alte stratorum. Sub fundamentis domus, licet ad magnam profunditatem, frustra terram solidam quae-sivimus; retia proinde magnorum trabium substernere opus fuit. Circa hortos vineamque majorum lapidum expurgatorum, magni undique acervi prostant. Hortus ac vinea, alioqui in declivie, a transversantibus quam multis muris sustentatur. Habes igitur ita descriptum locum, multis de rationibus minus convenientem scopo: ast, ubi meliora negabantur, etiam isto scrupo angulo oportuit contentari. Haec autem minutatim descripta, multorum praevenient interrogata — cur hic et non alibi Residentia formata est? — scilicet: quod alibi possibile non esset.

**Descriptio Residentia** frontispicium, ingressumque a meridie habet. Ejus longitudo brachiorum nostralium 24. ad tiae medianam noctem porrigitur: latitudo autem brachiorum et alio- 24. orientem ac occidentem respicit. Ab oriente ob rum. declivium terrae, cum subtus vino-cellariis, plusquam ad tres altissimas contignatoines est, ab occidente autem ad duas aequae altas. In medio longitudinali domus magna porta ingressui patet ad inferius planum introducens.

Ibidem ad dexteram tria cubilia ac sacrarium totam longitudinem, quinque autem brachia latitudinis occupant, reliquum totum spatii pro sacello deservit, in quo visuntur sex solidae columnae atque arcus superiore murum sustentantes. Sacellum unicum hebet altare: tria confessionalia, baptisterium, multis adornatum imaginibus, coelumque coloribus vel aliquid depictum. Ad sinistram magni ingressus, scala patet ad superius tabulatum ducens. Tota scala ad magnam domus aulam introducit: aula autem larga 7 brachia totam domus longitudinem trajicit: habetque ad utramque extremitatem a summo ad imum duas magnas fenestras, rostrorum instar. Ex utraque magni coenaculi parte cubilia in ordine posita extant, quatuor per singulum latus. Magnae autem adhaeret domui culina, suis cum neces-

sariis locis, ac hiemali parvo Refectorio, a parte collis occidentalis.

Dicto autem Refectorio, culinae ac domui altera peristylo jungitur domus: continens subtus terram vi-nocellarium fornice instructum; supra autem in unica contignatione, Sanctissimi Sacramenti permanentis sa-cellum, ad unicum contiguum cubile. Est autem haec domus longitudinis brachiorum 16, longitudinis 40. In-tra mox dictam, ac magnam domum, in medio areae cisterna pluviales aquas de tectis receptas usibus red-bit. A meridie, extra ingressum in atrium domus, muro aulae adhaeret domus popularibus scholis aedificata anno 1852: est ad duas contignationes, habetque lon-gitudinis brachia 10, longitudinis 9.

Ab oriente, subtus magnum marum atrii ingressus planum sustentantem, ac Scholam in hortum et vineam ducentem, parvo interjecto atrio, est stabulum atque foenile, longum 16, latum 11 brachia. Huic, post par-vam aream a septentrione, assidet porticus, domesticis jumentis, ac in casu hospitum confluxus, equis usum praestans: et est longitudinis brachia 15, latitudinis 6. Omnia ista aedificia tabulis duri lapidis tecta sunt: et omnia, (Schola dempta) tumque hortus ac vinea solido, ac alto obducta sunt muro.

Et ne longior evadam in describendis agris, et vineis, ab Illustrissimo Barišić emptis, et implantari curatis, episcopalis usui mensae: jam sola aedificia ad magnam expensarum suminam te provehent: rebellis enim natura loci non nisi spartano pectore, ingentis pecuniae vi superari potuit.

Si novisses asperitatem loci, (prout ego, qui Residentiae aedificationi praeficiebar,) et nunc praesens ibidem elaborata conspiceres, summa sane admiratione percussus haud non dices: — Maximum heroem atte-statur opus!

Episcopa-lis Resi- Illustrissimo Domino Barišić nihil tam cordi erat, quam Religionis vindicanda libertas. Eapropter etiam

dentiae antequam huic soli, devoveretur Vicariatui, cum turcis in fluxus. privatis, judicibus, et ipsis Vesiriis, pro religiosa libertate, proque catholicorum minus infelici sorte, nunquam cessabat a certaminibus, saepius non minus periculosis, quam impendiosis. Sed vel unum ut commemorem, vere excellentissimum. Ab occupatione turcica usque ad annum 1839 judices turcae, Episcopo et Parochis non modo inconsultis, sed etiam contradictibus et protestantibus, malos catholicos proprio marte Matrimonio passim copulabant; vel omni adhibita vi, Parochum compellebant, is contra canones ut copulet. Tyranismus iste, quam esset intollerabilis, quantorumque seminarii malorum, non est qui plene intelligat, nisi is qui experiebatur. Quare Barišić, ut et Parochos a crudelissimis vexationibus, populum autem a faedissima corruptione liberaret, nihil sinit intentatum: et post alioqui multa impendia auspiciatissimum obtinet Firmanum 1839: quo turcis judicibus, nobilibus, Vesiriis et quibus a iis, onine jus adimitur, et strictissime prohibetur, se se quoque modo intromiscendi in catholicorum Matrimonia; aut in ullam aliam rem illorum Religionem concernentem. Firmanus iste spiritualibus et temporalibus erga catholicos tam amplis resertus est bonis, ut si nihil aliud magni procuravisset Barišić, hoc vel solum magnae ejus sufficeret gloriae.

Antequam in Mostar Episcopus figeret sedem, vix et rarissime in Hercegovina contigebat ex aliena ad Catholicam Religionem aliquam transire personam; ast postea haud ita raro: et, ubi dabatur occasio, Illuss: Barišić nullis parcebat impensis, periculis nullis, quo minus desideranti hanc Religionem amplecti liceret.

Libertatis Religiosae studiosissimus, campanae pulsum, cadaverum publicam delationem, Processiones, Viatici solemnem administrationem, domorum benedictionem inter medios Religionis osores, sagax introduxit.

Et licet sub Residentiali domo non adeo exiguum haberet sacellum; hoc enim et populi eomodo, et Ba-

rišić magnifico animo paeangustum apparebat. Quare is, omni innita via, totus ocupatur, ubi tandem magnam ecclesiam populo necessariam, struere daretur. Ardentibus ejus desideriis tandem se amicam exhibet fortuna. Occasione capta adventus in Hercegovinam Excelentissimi Domini Omer-Paša, militarium copiarum supremo duce, hunc haud ignobili Baršić sibi devinxerat amicitia: cui miseri populi angustiae exponens, eumdem obtestabatur, pro valida sua apud Imperatorem intercessione, et alicujus in civitate loci pro catholico-rum ecclesia assignatione.

Amica sponsione haud parum Baršić exhilaratur animus. Hinc spe, inde etiam timore incerti eventus agitatus, tandem praecognitam spem maxima eventus laetitia coronare sibi datum fuit. Anno 1862, 29 maji, Imperiale Decretum in Baršić manibus jam est: quo quidem Decreto, non modo conceditur facultas ecclesiam sibi construendi, sed vel ipse amplissimus locus, in tota civitate in primis nobilis, pro ecclesiae fundo, aliisque ecclesiae et populo necessariis, gratis omnino conceditur: turcis autem inhibetur ne vel minium obicem addueant. Et tanquam hoc parum fuissest Omer-Paša intercessioni, Baršić gaudiis, Imperatoris autem magnanimitati, Imperator ipse magno aliud jungit donum: 2500 scilicet florenos, struendae inpendendos ecclesiae.

(vide Parochia in Mostar)

Mirabilis sane et iste est Baršić Episcopi triumphus!

Quod vero statum aeconomicum et civilem catholiconum in Mostar concernit, in hos quoque Episcopi Residentiam magnopere influxisse, nullus haesites. Etenim antequam haec Residentia fundaretur, et antequam (1852) Episcopus, relieta Seonica, in Residentiam se conferret, in tota civitate hac vix erant catholicae familiae 12; miserabilium servorum, et artificum: neque ad fuerat qui, licet miserrimam, mercantilem officinam haberet. Nunc autem licet pauperioris conditionis, numeramus catholicas familias 398 eoruādem negotiantes 55.

qui que sibi ab illo tempore proprio aere tectum procurarunt, haud paucos. Igitur bonus influxus innegabilis est.

Introductione autem in Mostar tum vernacula, tumque turcica lingua Scholae, nationi nostrae parvum accessisse emolumenntum quis opinabitur? Paucis etenim retro annis, de nostris tota in civitate neque unum invenire erat, qui legere, scribere, rationesque ducere nosset; nunc autem de junioribus, qui id non calleant, vix aliquem invenires.

Linguæ quoque turcicæ notitiam, qua omnes guberniales actus evolvuntur, nedum utilem, imo et necessariam esse, quisque sibi persuadebit. Fatendum igitur cum omnibus peritis, ac intelligentibus: sicuti ubique, ita apud nos quoque per Catholicæ Episcopi, suorumque consortium Sacerdotum præsentiam, magnum Religiosum, et civilem incoepisse progressum; majoremque in dies sperari. Qnod si istud nunquam aut vix contigisset, ni divina Provvidentia magnanimum in Hercegovinam ac Mostar Barišić adduxisset, ideo sane Deo maximam gloriam; Barišić udem laudem vere magnam quisque cordatus ultiro dabit. Magnis igitur ille suis beneficiis in posterorum quoque cordibus aeternum vivat!

Sed neque ingrati irrecordatum relinquemus Ad: R. P. Marcum Kalamut, ex Custodem Provincealem: is quoque Illustrissimi Barišić 25 annis a secretis, eidem quoque in omni etiam periculosissimo casu indivisus strenuusque comes existens, nullis pepercit incommodis, majora hercegovinenses ut consequerentur bona: quae et ipsi retribuat Deus!



## VIII.

# De Parochiis in Specie.

## NOTA.

- a) **D**e Parochiis in specie nunc acturus, nemo mihi vitio reddat, si non alium ordinem sequi potero, quam quem mihi descriptiones ocyus, aut serius habitae permiserint.
- b) Alioquin ob merita Franciscanis per tot saecula aequo communi judicio attributa, signanter autem istis nostris in partibus, Religionis conservatae, civilitatisque introductae gratia, gratiam et perantiquum summorum Pontificum privilegium, usu nunquam interruptum tale est retributum: ut nobis Paraeciarum jus patronatus sit veluti haereditarius. Igitur pro quibusunque Parochiis, aut Capellaniis Localibus Sacerdotem Episcopo, et Vicario Apostolico praesentandi, mediante Custode, suoque Venerabili Discretorio, nostrum plane est. Istud porro privilegium nedum in nostra matre Provincia Bosnae Argentinae, verum et in consororibus dalmaticis Provinciis aequo exerceatur.

### I.

#### SIROKIBRIG :

#### PAROCHIA SS. ASSUMPTIONIS B. M. VIRGINIS.

= Conventus et conventualis ac parochialis ecclesia =  
*Vide numerum V.*

Parochia haec, quae quondam cog nominabatur de Blato, antiquior est, quam probare possumus. Sunt

qui recensent quondam Missionarios in Blato, in loco autem nunc ignoto moratos fuisse: ideoque Parochiam de *Blato* nomen sortitam. Ast vero satis ab antiquo hujus Parochiae Parochos in pago *Pribinovići*, tum in *Dobrkovići*, et postremo in *Čerigaj* commoratos fuisse evictum habemus. Tamen ex domus incendio, aut alio nobis ignoto fato, Parochia haec non nisi ab anno 1753 matrices offert; sub nomine Parochiae de *Čerigaj*: quo in loco etiamnum duae domus parochiales subsistunt in fundo Kraljević: antiqua una, a P. Jacobo Kraljević aedificata; altera autem recentior a P. Nicolao Kordić. Itaque haec Parochia usque ad annum 1848 de *Čerigaj* vocabatur; tuncq; translato ejus nomine atque protocollis, Parochia *Širokibrig* vocari coepit. Matrix est ferme in extremitate orientali ejusdem Parochiae, unicum ad ortum solis pagum Ugarići habens. A meridie vero Jurčinovići, Mokro, Čerigaj, Bukovo, Rasno, Dušice, Ledinac. Occidentem versus: Medvidovići, Mamići Dolac, Kočerin, Podkraj, Podvranić, Rujan Crnelokve, et Ljubotići. Ad septentrionem = Britvica = Izbično = Crnač gornji — Crnač donji = Dobrkovići = Okloji = Lisse =

Parochiae Ab oriente Ljuti dolac in Blato: a meridie Čerin contermi-ac Ružići = ab occasu Pašusje = ab aquilone Rakitno, nae. Gradač.

In hac Paraecia sunt rudera duarum ecclesiarum, quarum memoria extat: in cacumine collis supra Buovo *Ozrnje* S. Georgii = in Mokro *Podgradinom*, ignoti titularis.

*Coemeteria* Plus minusque insignia sepulchra gentilitia in 17 locis numerantur: scilicet *Trn* in matrice, Okloje, in Antiqua. Mokro duo Coemeteria; et unum de illis *Podjelinak* habet aliquot sepulchra magna, ac magnifica. In uno illorum ad formam templi facto, haec tantum edax tempus posteriora verba Cyrillice scripta legenda reliquit  
= *Plemenitomu Gospodinu* =

In summitate plani Blato, ad radices collis et pagi *Uzorići*, in quatuor distinctis locis sunt magnifica gentilitia sepulchra, sed in loco Šarampuvo duo adsunt stupendae magnificentiae. Utrique magno, plano, et horizontali lapidi alter ad formam casulae insidet, et servata proportione magnae grossitiei, ad hominis altitudinem summitas casulae alioqui pertingit. Sunt porro ex utraque laterali casulae parte *quinque* largi = bicipites gladii, suis cum manubriis ab alto, acuminibus autem ad solum conversis, sat accurate insculpti.

In utroque pago Crnać in Dobrinj extant gentilitia sepulchra. Čerigoj in *Privalj*, in Mamići, in Kočerin, in Vranić, in Buhovo, Rasno, et Ledinac: sed in hoc coemeterio sunt quinque sepulchra habentia stemmata regio sanguine prognatorum.

**Arces dirutae.** Lisse in *Borak*, supra fontem Lištica in Mokro, Cerigaj in *Magonik*, Buhovo in Ozernje.

Haec Parochia duabus gaudet minus amplis terrae planis, fertili Mokro, et Privalj. Fruitur uno flumine Lištica, ad eujus scaturiginem, et inferius prope pontem, habet multa molendina perennis laborationis. Ugrovaca, Mokrošnica, Privalj, sunt ejus torrentes. In Šarića Dubrava habet ferri metalla, litantricem autem penes Lištica ad Stari Ćemer. In gornji Crnać in amena et faecundissima valle Dobrinj ad multam extensionem reperitur metallum ferri, vel etiam cupri: sic quoque in Resnice. versus orientem. In *Biele stine* supra Crnać gornji, atque in *Pomet*, reperitur fodibile album *Marmor*.

*Uzarići* sat bonis uvis gaudet, tunc minus bonis Ledinac, Trn, Povranić, Dužice, Rasno, Čerigaj, Olalaje, Lisses Mokro.



**PAROCHIAE DE ŠIROKIBRIG ANIMARUM SUATUS.**

R. P. Philippus Čutura, Discretus Custodiae, Guardianus Conventus, et Parochus.

M. V. Pater Blasius Jerković Vicarius Conv. Socius Parochi.

V. P. Elias Jukić Soc. Par.

V. P. Laurentius Sesar S. P.

Et in casu necessitatis, quotquot in Familiae Tabula Sacerdotes numeraveris, tot Parochum habere Socios scias.

Residen: Par:	Familiae Catho.	Anim: Catho:	Distantia.
Širokibrig	50	364	0 ---
Turčinovići	20	245	hor. 1
Uzarići	49	366	" 1
Mokro	26	248	" 1/2
Čerigaj	36	239	" 1
Buokovo	43	253	" 2
Rasno	32	238	" 2
Dužice	46	310	" 2
Ledinac	12	226	" 2 1/2
Medvidovići	20	138	" 2
Mamići	17	132	" 1 1/2
Dolac	12	76	" 1 1/2
Podkraj	24	135	" 2
Podvranić	3	33	" 2 1/2
Rujan	21	176	" 3
Kočerin	28	185	" 2 1/2
Crnelokve	27	216	" 3 1/2
Ljubotići	44	305	" 1 1/2
Britvica	35	179	" 2 1/2
Izbično	14	112	" 2 1/2
Crnač donji	33	247	" 4
Crnač gornji	33	316	" 2
Dobrkovići	39	241	" 4
Okloje	17	158	" 1/2
Lisse	24	171	" 1/2
<b>25</b>	<b>689</b>	<b>5209</b>	<b>25</b>

Porro transversalis recta, tum longitudinis tumque latitudinis, hujus Parochiae est horarum *quinq̄ue*.

Sunt autem 20. catholicorum Coemeteria, ut plurimum muro cincta; de quibus 18 habent sua sacella altaris, ubi sacerdos diebus Festis cum suo populo Deo libat. — Nota —

In hoc vero loco pro omnibus nostrae Missionis Catholicis coemeteriis sit dictum; nempe in eis, habito respectu ad ecclesiarum defectum, Sanctae Sedis indulto omnes illas indulgentias lucrari posse, quas communiter ecclesias visitantes lucrari consueverunt. Sunt porro quaedam coemeteria, puta in Grabova Draga et Gradac, quae etiam particularibus indulgentiis gaudent. Hoc ipsum intelligendum est de unoquoque altari domestico nostris in domibus parochialibus.

In hoc ipso coemeterio adsunt duae magnae cruces, transversalibus minus protensis, quam apud latinos est moris; ambae sunt stupendae magnitudinis, ac molis, signanter autem una vero, sensu colossalis; superans duabus spitamis quemque altissimum hominum. In istis ambabus crucibus, ex utraque parte longitudinis verticalis, extant superius commemorati quinque gladii bicipites, nihil diversi ab illis aut minores. Igitur, consueto magno saxo sepulchrum premente, ad cuius occidentalem summitatem dictae cruces plantatae sunt, indubios nos reddunt *paganos*, ad christianam Religionem conversos, antiquae suae nobilitatis insignia etiam cum novae Religionis monumentis conjunxisse. Est qui opinetur, christianos ex jam extantibus gentilium sepulchralibus monumentis sibimet cruces efformasse, relictis tamen *gladiis*: sed res penitus examinata, neque decori publico christianorum, neque elaborationi crucum convenire videtur: quod, si cui mea opinio minus placet, monumentorum examen accuratius ne displiceat.

## II.

## CAPELLANIA LOCALIS LJUTIDOLAC

## IN BLATO:

## NATIVITATIS B. M. VIRGINIS.

Avulsa a sua matre Širokibrig 1864, a quo tempore  
etiam protocolla habet.

Mostarsko Blato est una de famosioribus in missione planitiebus: longa horas duas, lata unam: faeno procreando, ac segetibus plurimum fera. Hinc aliqui in geographicis descriptionibus ac Tabulis *Mostarsko Blato* nomine locum depingentes, aberrant; fors quod aliquis eorum viator hiemali tempore transiens (ut solet fieri) planitiem ab aquis inundatam, lacum putaverit. His porro ab aquis planities aut ex integro, aut sane maxima in parte liberari solita, fruges ac foenum annuatim egregie praestat. Distat a Mostar ad occidentem duabus horis: inclinat ab occidente in orientem: ad cujus fundum aquam voragini recipientes, fontem *Jasenica* flumini parant.

Blato a media nocte per totam longitudinem habet non nihil elevatos diversi nominis colles, quorum radices, ferme usque ad summitatem plani, non habitantur: a meridie autem, infra silvas continuas *Irtre* et planitiem, continuatis incolis populatur. Est igitur plaga ad meridiem faecunda quam plurimum uvis bonis, et multi-formis generis fructuum. Singularem haec planities epocham sumpsit ab adventu in eam Vesirii *Paša Kukavica* 1760.

Ad summitatem hujus plani occidentali nordicam, et in loco Žvatić tanta vis borealis ventus fieri potest, ut similem in Hercegovina non experieris. Est porro

circa hoc extraordinarium phoenomenon vulgaris traditio: in illis viciniis quondam missionarios Jesuatas vel Jesuitas, Religionis Catholicae causa, a Turcis trucidatos fuisse. Constat vero ex Farlati narratione, vere aliquos Jesuitas in istis partibus cecidisse; sed an accurate in Žvatić, hoc liquido non patet. Ad plagam meridionalem, quasi in meditullio longitudinali, est locus dictus *Kraljevine — Regalia*: et senes habitatores traditione acceperunt, ibidem Regem (ignotum) cum turcis acerrimum comisisse bellum, ipsum regem ibi peremptum et sepultum, nomen reliquisse loco. Addit Traditio etiam tunc quemdam Paša cecidisse, et putant se indicare tumulum ei ibi conditum. Verum quidquid sit in re; sepulchra tamen ibidem christiana et turcica per multa sunt: quaedam quoque magnifica. Alia autem traditio, est utut historiae fragmentis consentiens: *Kraljevine* ideo vocari, quod Regis filius, inter alia loca sibi in pheudum data, etiam illum possideret: quisque amplectatur, quam praeadamaverit sententiam.

Interim non ommittam etiam hodie in illis coemeteriis subinde reperiri arma, remotioris temporis cum cadaveribus sepulta.

In ista plaga tam fertili et amoena, coemeteriis item veluti consita, nullius antiquae ecclesiae rudera, et in memoriam reperiri, certe mirum est: et multo magis etiam nihil traditum extare, ubi loci missionarii Parochi de *Blato* suam haberent residentiam. Est qui opinetur extantia ibidem turcicae moscheae rudera ecclesiae fundamenta praemere; sed nihil certi determinari datur. Interim Capellaniae Localis domus, de qua loquimur, in uno de commemoratis fertilibus, et amoenis pagis sita est, scilicet in *Ljutidolac sub Blato*. Septem habet villas: Biograci et Jare ab occasu; Podgorie, Šelišta, Čule, Krivodò, omnes ab oriente: ex qua parte etiam conterminat cum Mostarensi, et Grandničensi Parochijs; a meridie item cum ista, et illa

de Čerin: ab occidente cum Širokibrig: et a media nocte, trajecta tota planitie, cum Parochia Gradac.

Tradunt *Ljutidolac* (vallis acida) non multo pridem vocatam fuisse *Zlatodò* (vallem auream:) ob fodinas auri, quas ferunt a turcis paeclusas fuisse; nomineque prisco vallem vacari inhibuisse.

**Arces  
dirutae**

In Ljutidolac extant praemagnifica arcis abundantissima rudera, in quibus saepius diversi generis arma reperta sunt. Hic loci, nempe inter coem et viam Regiam, anno elapso, P. Michael Nikolić exceptit sclopeti ignitabulum (čarato) libellas *duas* ponderans, etiam sine quibusdam partibus deficientibus, et a rubigine exaesis. Magnae fortitudinis erant sane similia qui tractabant sclopeta.

In Biograci quoque arcis rudera magnificentiam operis antiqui, et praegrandis indicant.

**Antiqua  
Sepulcra.**

Sub Podgorje extat numerosum coemeterium, dictum vulgo *Krvia*: (locus sanguinis.)

Ferunt, juxta nationis consuetudinem, (non multo pridem extinctam) in loco Krvie hostes in sponsae traductionis comitivam irruisse, ut illam raperent, et certamine inito, magnum terrae spatium cadaveribus constratum, ibidem sepulturae dedisse locum. Lapidés sepulchrales sunt plures magni, et magnifici; et in quibusdam incisiones vere traditionem confirmant

De sepulchrīs in Ljutidolac *Kraljevine*, jam innuit et addere lubet in quibusdam eorum femoris ossa reperta esse *quatuor* magnarum spitamarum; item crania et dentes tam magnos, ut stuporem injiciant. In Biograci quoque duo antiqua coemeteria numerosam quondam, et praedivitem populationem produnt. In Krivodò extat antiquae manus opus *Cisterna*, extraordinariae magnitudinis et soliditatis.

CAPELLANIAE LJUTIDOLAC  
IN BLATO

Animarum Status.

V. P. Matthaeus Bulić Cap. Loc.

Pagi	Familiae Catho.	Anim: Catho:	Distantia.
Ljutidolac mat :	54	299	0 ---
Biograci	34	480	hor. 2/4
Jare	35	346	" 4
Podgorje	46	76	" 4
Selišta	41	84	" 4 1/2
Čule	8	79	" 4
Krivodò	48	136	" 2
7	470	1170	

Longitudo totalis Capellaniae h. 3,

Latitudo autem 4.

In hac Capellania suum  
habentes domicilium:

Graeco Schism; 3

Zingaricae 2

Reperiuntur autem in hac Capellania catholica  
coemeteria, suis cum sacellis *quinque*.

Quemadmodum antiquitus, sic etiam successivis tem-  
poribus, pagi in Blato existentes a Parochis de Dobrkovići, Pribinovići, Čerigaj, demumque de Širokibrig ad-  
ministrabantur. Verum, justis de causis, anno 1860 Rel-  
ligiosa Communitas in Ljutidolac agellum unum, cum  
horto, et medietatem parvae domus a quodam turca emit.  
Et ibidem, Sacerdotibus in angustissimo terriculae an-  
gulo subsistentibus, anno 1864 domus ecclesiastica in-  
choata fuit, accidente summa florenorum 750 : ex collec-  
tis factis a Fratribus missionariis in alienis regionibus

tandem juvante aliquid etiam populo in materialibus. Domus est longa 46. brachia, lata 45. habens subterraneum vinocellarium, ed in tabulato cellas 3: ac Ora- torium pro populo. Muri domus terminati tectum petunt.

In Jare est fons Blaževi vrilo: et praetenditur ibidem suisse templum s. Blasii: et in vicinia est antiquum christianum coem. Milanovac —

### III.

## PAROCHIA GRADAC SS. NOMINIS JESU.

Parochia haec ab immemorabili est: habet vero sua protocolla ab anno 1748. Post catholicismi deva- stationem in civitate Mostar, Missionarii Parochi in pago *Com* subsistentes, vicinias Mostar, tumque pagos montanos, actu Gradac subjectos, administrabant; et ut sa- cerdotes facilius turcicam persecutionem declinantes, e- tiam montanis catholicis prospicerent, alteram domum in Podivaz prope Goranci conficerant: et tandem anno 1797: P. Nicolaus Ilić in turcico solo *Gradac* paro- chiale exiguam domum, solidam tamen, construxit, loco antiquae in eodem pago. Ast etiam huic subinde *quarta* domus adjungebatur in *Gostuša*; ubi Sacerdotes semet abdebant, consequentibus eos turcis. Igitur quon- dam erant quatuor domus Parochiales loco unius ho- diernae de Gradac.

Est porro domus sub meridionali summitate mon- ticuli calvi *Bile*, difficilem ad omnem suum pagum ha- bens accessum, Grabovadraga, ac Polog exceptis.

In omni eventu rerum, Gradac usque ad annum 1849 etiam actualem Parochiam Mostar, ut poterat ad- ministrabat: et habebat longitudinalis extensionis plus quam *duodecim* difficillimi, et periculosi itineris horas. Gradac alioquin in extremitate occidentali, et respective

meridionali, subsistens, quousque Sacerdotem in Grobovica exmitteret, duas dies pro accessu, et duas alias pro regressu impendere debebat. Perpende igitur, quam istud negotii gravissimum fuerit tam Sacerdotibus, tumque populo inter montium sinus abdito! Sed prosequamur actualem Parochiam Gradac.

Residentia etiamnum est in extremitate occidentali et meridionali Parochiae: habens ab ortu solis Grabovadrage — Polog — Vlajnići: ad meridiem et planum Blato usque, Donji — gradac — Knežpolje — Dobrič Provo: reliquas autem omnes, quas tibi tabella porrrexerit, plus minusque ad medium noctem habet. Confinat vero ab oriente cum Parochia Mostar, a meridie cum Ljutidolac citra Blato; ab occasu cum Sirokibrig; a media nocte cum Mostar, et Rakitno: item Konjic.

**Antiquitates.** *Željetus*; tempore belli viennensis, tradunt etiam in hoc pago Religiosos Franciscanos suam habuisse domunculam: incendio dein vastatam, quemadmodum et alias saepius alibi existentes: turcae enim retro temporis hoc facinoris indulgentiae atque gloriae sibi ducebant.

*Giubrane*: nostro in coemeterio colossalis Crux extat, altitudinem hominis superans; in qua sat perito celte sculpta est virilis majestosa imago, habens in dito anulari anulum, etiamnum bene distinguibilem: et loci vulgus refert ibidem Episcopum tumulatum fuisse.

*Goranci donji*: in nostro coemeterio *Podjela 1814*. quidam Stanislaus Knezević, peste tunc grassante, puerum dum sepelire vellet, et quodam antiquissimum sepulcrum aperire adlaboraret, inopinato ipsi contigit, ut ibidem ex optimo albo lapide sarcophagum detegeret. Rei prius invisa novitate in admirationem adductus, vulgari ex persuasione opinatus, thesaurum in illa magna cista tutatum esse. Quare operculum affabre aptatum celer dimovens, magna cum spe aperire desudat. Ast ubi licuit illum intento potiri, tunc velut emortuus

prae timore in terram cadens, vel aliquid temporis ex pectore dum sibi fuit, quouique animum vireque colligeret. Cadaver enim puellulae, circa 45 annorum, in statu plenae integritatis tum carnium, tumque vestium dominialium, et albi in capite bireti, Stanislao abs dubio timorem incussit: neque id mirum.

Tandem, ubi primum Stanislaus se colligere potuit, et attentissime cadaveris pulchritudinem admirari, quasdam fundendo preces, operculum suo restituit loco; et juxta idem sarchophagum puerum a se delatum sepeliens, stupens abiit, aliisque quoad vixit recensebat: preter quam quod non longe abessent a loco pastores, dum Stanislao factum accidisset. Hodie nemo est qui praecisum locum facti tangere nosset . . .

In amoenissima, parva planicie *Podružje* extant ad viginti putei, antiquissimae, ac praesolidae, non minus quam extraordinariae constructionis: scilicet, planum et largum habentes fundum, muros autem sensim arcatos usque ad angustum ostium. Putant quidam illos puteos quondam pro horreis inservisse; sed hodie scaturiente in eos aqua, vix possibili alteri rei illos inservisse quam aquae.

*Goranci*: habet planum montanum non grande quidem, sed aspectu delectabilissimum; et, quatenus rigidior aura sinit, summopere faecundum. Antiquae permultae cisternae, item coemeteria valde numerosa, tum nobilium, tumque plebis, indubios nos reddunt, Goranci quondam fuisse majoris momenti, nec non multae populationis.

*Knežpolje* (comitis campus) in summitate boreali Blato locum apricum, amoenum, et summe feracem occupat. In isto pago permulta palatiorum rudera, locum fuisse quondam magni momenti, certo indicant. Idipsum praestant copiosissima, et magnifica antiqua sepulchra, Ecclesiae quoque rudera (s. Joanni dicatae) et alia circa eam existentia, semper magis antiquum loci splendorem in mentem reducit. Est qui adserat se audivisse:

Parochos de Blato hic loci suam habuisse residentiam: opinioni circumstantiae forent, neque ego inficiari auderem.

*Polog*: ad radices monticuli *Bile*, ab ortu ad acasum, circa medium horam, planities insignis saecunditatis protenditur. Antiquos quoque sua attraxisse feracitate, multa et magnifica sepulchra, tumque plebis coemeteria, omne abscondunt dubium. In extremitate occidentali, ad famosum fontem *Grkus*, arcis praenobilis existunt rudera; nomine *Zvonograd*. Arcem autem istam fuisse nobilis Familiae *Zvonimir*, v. *Zvonimirović*, vulgaris opinio est.

### PAROCHIAE GRADAC

Animarum Status. V. P. Martinus Mikulić Cooperator.

Pagi	Familiae Catho:	Animae Catho:	Distantia hor:
Gradac Resid.	37	277	0
Donji Gradac	28	220	" 2
Knežpolje	29	480	" 2 1/2
Dobrič	14	426	" 2
Provo	6	35	" 1 1/2
Vlasnići	9	73	" 3
Polog	23	247	" 2
Grabovadraga	24	229	" 1 1/2
Gostuša	13	80	" 3/4
Bogodo	19	183	" 2
Goranci	62	549	" 2 1/2
Vrdi	26	255	" 4
Drežnica	2	24	" 6
Željetus	8	53	" 4
Podivač	13	97	" 4 1/2
Sirge	10	63	" 5
Domazeti	8	45	" 6 1/2
Giubrani	19	151	" 7
	48	947	2887
			58

Longitudo hujus Parochiae a Giubrane ad Gostuša h. 40  
 Latitudo a Knežpolje in Dreznica 9 3/4

Sunt autem in Parochia catholica septa coemeteria,  
 suum habentia sacellum N. 43; quinque autem obsoleta.

In tribus Parochiae pagis:

Vlasnici — Polog — Željetuš — Turcicæ domus 45

In sex pariter pagis — Dobrič — Vlasnici

— Bogodò — Goranei — Željetuš — Domazeti

Schismaticorum familiae sunt 35.

### — N O T A —

Omnem hujus Parochiae pagum etymologice aliquem involvere significatum, scito nostra linguae ac consideranti, facile patebit. Ex quo casu, alibi passim haud reprehibili, mihi inferre tuto licet, istis in artibus non modo linguam *Slavam* jam dudum introductam fuisse; sed etiam turcas supervenientes locorum nomina minus quam alibi deturpavisse.

### — B R O Ć N O . —

#### N o t a

Antequam de duabus Religiosis residentiis, in circuitu Broćno existentibus, singilatim sermonem instituamus, quaedam praemittendi non inopportunum censeo.

*Broćno*: a singulari productione *rubiae tinctorum*, (broć) vel etiam a procuremente vini summe rubri, suam inter slavas sortitum fuisse denominationem, nihil ambigerem. Broćno, miti aere donatum; solo guadet excellentissimae faecunditatis: omnis generis colonialium, hortensium, et frugiferorum procurementi egregie se praestat. Colliculis amoenis, hinc inde ex planicie assurgentibus, delectabilitatem oculi plurimum commendat. Majus planum ab occidente Amzići, ad ortum, et fere ad flumen Neretva per Blizanei, quatuor horis se extendit; latitudine autem ab uno quadrante, ad unam

horam. Planities ista, et pagi circumcirca continuato ordine positi, totius denominationis Broćno medullam absumunt: alia remotius jacentia loca et si faecunda, plus tamen soli petrosi habent. Igitur a summitate Amzići, reparante colle silvoso a vento boreali planitiem, ad Neretva usque, apricitate linea gaudente, praeprimis nobilia vina, tumque tabacha producit. Longitudinalis autem ad meridiem ab oriente posita, abunde porrigit quaeque; ast qualitate superiori parti utique cedit. Pridem quaque universim Broćno, maxime vero partem nordicam plani inter faecundissimas terras habitas fuisse, antiquorum nobilium opidorum, tumque hinc inde sparsorum palatiorum insignia rudera, antiquitatum frequentes detectiones palam ostendunt.

Post tot saecula ac nequissima fata, ab Ozrnje supra Amzeći Neretva usque, adhuc est numerare, et admirari plusquam 450: solidissimas domorum fornices; quos sane solae magnae divitiae condere poterant. Item et frequentia, et magnificentia sepulcrorum, in Broćno aequa ejus eminentiam loquitur: sed jam nunc particularibus demus locum.

#### IV.

#### Č E R I N I N B R O Ć N O :

Capellania Localis  
S. Stephani ProtoMartyr.

A matre Gradnići avulsa 1863: a quo anno et protocolla dicit, Capellania haec minorem medietatem Broćno occupat. Ogragenik mali, ac Blatnica, orientalem Capellaniae partem; Ogragenik veliki, Cerno, et Drogićina meridionalem; Družići ed Grljevići occidentalem, Čalići vero borealem conficiunt.

Ab oriente conterminat cum Gradnići, a Meridie cum Humac et Veljaci: ab occasu cum Ružići, et Sirokibrig; et ab aquilone cum Ljutidolac.

Čerin est ad radices apricas collis silvosi Iratre; amoenissima gaudet parte plani famoso fonte Čerin, torrente Lukoč, et plnribus vivaæ aquæ puteis. Capellanialis domus in colliculo prope Fontem sita est, et totam orientalem extensionem Bročno, delectabili aspectu intuetur. Solum occupatum ab aedificiis, et agellus ex collectis eleemosynis empta sunt. Domus porro atque stabulum, (mox convertendum in ecclesiam) 1865 intia et terminationem obtinuerunt, diligentia et patientia vere singulari P Mariani Miletic; concursu populi item praelaudabili; impendiis autem religiosarum collectarum: de quibus impensi sunt floreni 900. Est porro domus longa brachia 18: larga 45: subterraneum habens vino-cellarium, quatuor cubilia, et oratoriū in scholam vertendum; item refectorium.

Stabulum longum brachia 18: largum 9: altum fere ad duas contignationes, diem expectat, ut sibi adjecta majoris altaris capella, in ecclesiam convertatur, cum qua intentione etiam aedificatum fuit. .

#### Antiquitates.

Čerin etiam priscais temporibus capitalis districtus hujus locus fuit. Etenim a fonte Čerin ad orientem, nullum terrae spatium civilium domorum ruderibus stratum est. Item singularis multitudo, et magnificentia sepulchralium monumentorum hie existentium, nobilem quondam fuisse locum certo indicant. Loci incolae putant, Čerin quondam fuisse sat magnam civitatem et Arcem Gradina in suam defensionem.

Ne vero singularia sepulchra penitus praeteream, vel aliquid de his proloqui expedit. Nullibi in nostra Missione mibi obeservare licuit, tam multas *cruces*, diversarum magnitudinum, sepulchralibus lapidibus insculptas, uti hic passiu occurrunt.

Alibi stemmata diversae compositionis sunt; hic autem ferme omnia constant — sucto, gladio, et stella in medio scuti, — Alibi ninphae circa lapidem chorreas ducunt; hie vero de multis a me examinatis vix in uno, aut altero nymphas reperi. De reliquo, quemad-

modum alibi, ita hic quoque sepulchrorum magnificentia inscriptionibus orbatur. In unico quaedam goticae antiquae litterae illegibiles deprehenduntur: quod quamquam non sit de majoribus, ejus a me dimensam magnitudinem referre lubet.. Jacet prope novam domum Capellani, in recente Catholico coemeterio. Longitudo lapidis est venetarum unciarum 94:

Latitudo	75:
Altitudo orizontalis	23.

In uno sepulchrorum hujus loci cranium humanum repertum est, medietatem abundantem venetae unciae sua crassicie exaequans: item molares dentes transversali crasis *unciam* referentes: crura autem tibialia tres spitamas, aut novemdecim uncias longitudinis. Vulgus noster saepius consimiles extraordinarias magnitudines in sepulchris deprehendens, dicere consuevit — Antiquos graecos sic colossales fuisse. —

Interim in vicinitatibus Čerin in quinque locis numerosa sepulchreta existunt.

Ex parte orientis, proxime Fonti, adjacent copiosa et insignia rudera tum ecclesiae, tamque civilium aedificiorum. Inter plurimos bene elaboratos lapides, quosdam deteximus excellentioris qualitatis, nostra in regione haud existenti sicuti videre est ad ingressum nostrae novae domus. Haec species lapidis, referentis candidissimum marmor, in capella circulari majoris altaris ecclesiae prominebat; apparentibus in eo quatuor capitibus quadrilateratim dispositis; ast plurimum destrutis: vulgo censebantur quatuor evangelistae.

Sed adhibito a me circumfessionis labore, et liberato lapide, primum cognovi lapidem, et si nunc magnum, multo quoque majorem fuisse; secundo didici quatuor evangelistas haud referri. En illorum accurata descriptio.

A parte (ut inventus est lapis) occidentis, et fontis, vel mavis etiam longitudinis ecclesiae, in uno latere quadrato, lato uncias 27, alto 32 prostat majestose

vestitus thorax; capite minus distinguibili, veluti *Senecae philosophi*, constans. A latere autem meridionali est incisus masculus, penitus nudus, ambos pedes in uno compede habens; ex cuius compendis auriculis, ad malleolos pedum positis, binae catenae hinc et inde tensae, unaquaeque sibi correspondentem manum protensam ad solum, mediante circulo post pugnum obstricto, adligatam solide tenet: estque patiens dorso veluti muro haerens, cervice quoque penitus erecta.

Ad dexterum incatenati pedem, cuiusdam animalis collum, et decussi capitis, sola auris dextera distinguibilis extat. Animal istud fors singularem canis speciem refert.

Ex parte orientali: superbo, ac nobili equo, celeriter incidenti, homo insidet, cuius nihil fere distinguere est nisi manum habens dirigen tem, et pedem usque ad malleolum: equus quoque capite caret. In plano, ad pedes equi venatilis canis soluto cursu pergit.

A boreali latere: item integer et mutus vir prostat, dorso ad murum converso, capite autem elevato; manu dextera lateraliter velut extenta, et supra prominentem tabulam deposita; sinistra autem etiam extenta, aliquod folium scriptum supra palmam police premente.

Inferior praerupta pars lapidis, eleborato insedisse pedestallo apparet, sed quantum alto haudquam con stat. Supra capita quoque adhuc laborati lapidis fuisse, decussionis reliquiae pariter porrigunt: et quid hoc fuerit?

Non multis ab hinc annis ecclesiae campana, circa centum librarum ponderis, in loco proximo inventa fuit; et ab indiscretis rusticis in Metković vendita.

Ecclesia (vulgo S. Stephani) tumque adjacentia aedificia, sine dubbio igni combusta sunt; palam testantibus signis. Quodam hucusque latus aedificii detectum, angustas assert cellulas, solidi muro intersectas, circum cingente eas angusto transitu, lapidibus laboratis stra-

to. Ad angulum unius cellae, ossa humana, et septem crania, velut in cuumlo, interque incendii vestigia reperta sunt. Signum hoc indubie loquitur, in aedificio habitatores praeclusos igni enacatos fuisse: sed quinam ii fuerint monaci basiliani? franciscani? collegialis capituli membra? fortuna destituimur ut respondeamus. Alias dixi, ac repeto: localem traditionem vigere, in Čerin Franciscanos suum habuisse Conventum: neque aliud certius occurrit, quod referam.

Supra saepius laudatum fontem Čerin, insidebat ab immemorabili, lapis de illis nobilioribus, supra memoratis: leoninis pedibus *suffultus*. Is alioquin naturae sat bene scindibilis ferro, lactantibus faeminiis optime se praestabat votis. Faeminae enim, etiam a remotioribus locis oecurrentibant, et abrasi lapidis pulveres, ad defecatum superandum lactis, veluti miraculosum medicamen, cum aqua sorbebant. Quod an omnibus profuerit, prudens dubitarem; sed etiam si nulli profuisset, certe per tot saecula, tamque constans rei usus, non fuisse. Interim, de dicto lapide nunc temporis pro ecclesia loci *pila aquam lustralem* continens excisa est: manentibus tamen decussionibus reservatis, populi ex communi desiderio, apud loci Sacerdotem. Denique, communiter ferunt de isto quodammodo miraculoso lapide: quo bis, aut ter nobilis turca Kreić, laudatum lapidem ad suum in Gradac palatium devehi curaverit, usui prophano destinatum; quodque idem lapis, nemine vehente, toties ad suum pristinum locum Čerin restitutus comparuerit. Alium quoque hic erutum habemus lapidem; Adamum et Evam in Paradiso fructus prohibitos ex arbore cerpentes referentem.

*Amzići* duobus significantibus fontibus gaudet, *Kripovaz* et *Sritnice*: (*confortans*, *fortunatae*. Circa hos Fontes multi existunt antiquae manus labores: sed ad Fontem *Kripovac* est quod admirerum opus. Linter ad aquandis animalibus, lavandisque vestibus destinatus, est sane eximum vas, in solidissimo albo lapide exci-

sum, habens longitudinis brachia 3: latitudinis 2: latitudinis orizontalis 4: et quadratae vacuitatis brachia 4: 3/4: Ad unam lateralem oram sex habet, choream ducentes, nymphas: ad aliud latus majestosum equitem, perlonga lancea cervum confodientem; et a summitate ad fontem conversa, tres comparent robusti viri, diversi generis arma tenentes, quasi diceres in defensionem fontis: et illi *tres* utique erunt omnium circa fontem extlectorum generosi auctores. Pagus Amzići antiquitus *Kripovo* vocabatur; Amzići autem a turcis Amzići, qui in Kripovo suam commemorationem fixerunt.

Apud alterum Fontem *Sritnice* in Amzići extant ampliae arcis rudera: item in Dugangie. Coemeteria autem antiqua, in Čalici 4. in Dragićina 3. in Dugangie 4. in Ogragenik veliki 2: et quidem magnifica in *Bakri Blatnica* 4. etiam magnificentum: in Lipno 2: in Cerno 4. apud Kripovac nobile unum.

Blatnica metalliferri abundat.

### CAPELLANIAE LOCALIS

### Č E R I N

Animarum Status.

V. P. Marianus Miletic C: L:

Pagi	Familiae Catho.	Anim: Catho:	Distantia.
Čerin Resid :	6	62..	0 ---
Čalići	44	53	hor.
Amzići	59	390	" 1/2
Dragićina	49	154	" 1/4
Ogragenik mali	49	154	" 1/2
Ogragenik veliki	23	232	" 3/4
Cerno	44	113	" 2 1/2
Odaci	30	275	" 1/2

Filiiles

Pagi	Familiae	Animae	hor.
Blatnica	44	150	" 1 4/4
Grljevići	43	94	" 2
10	244	1676	8 1/4

Longitudo totalis Capellaniae Čerin	h. 5
Latitudo ejusdem	" 3
Coemeteria Catholica cum suis sacellis	" 10
Familiae turcicae in hac Capellania sunt	" 7.

## V.

## GRADNIĆI IN BROĆNO

Parochia S. Blasii E. M.

Parochiam, antiquitus in historiis denominatam *Broćno*, ipsam esse hodie *Gradnići* dictam, nullum dubium est. Sed praece illa Parochi residentia an esset in Čerin, vel ubinam praecise, evincere haud possumus. Certi autem sumus in *Gradnići* recentius domun parochiale fuisse: scilicet circa annum 1429, eratque domuncula multum miserabilis, stramine tecta.

Etiam certa traditione scimus: antequam Familia Zubac — Radmanović angustum in Gradnići parochiali domui cederet fundum, Parochos *Broćno* in Dabroselo, dein in Vidovići longam traxisse coimmorationem; et a se aedificatam ibidem cisternam, Fratruin nomen ferre hodie quoque confirmatur.

Vidovići erat quondam situs desertus, spississimis et magnis silvis consitus; et ideo vel maxime pro Religiosis, turcicam iram fugientibus, aptus: hodie autem in Vidovići vix est aliquis juniperi *rubrae* cespes. Antiquam Parochiam Broćno latissime patuisse ex Farlato, et aliis fragmentis, colligimus; sed quae praecisa essent



ejus confinia, ignoramus. Verum istis nostris temporibus, et me in Gradnići Parroco, *Broéno* Parochiam Gabela, et Čerin complectens, enormem habebat extensionem; Dioecesis potius quam Parochiae et quibus hodie *quinque* sacerdotes spiritualia praestant solatia, tunc saepius soli *duo* quam *tres*. Interim praesens Parochia Gradnići occupat majorem medietatem orientalem Broćno: et ab oriente conterminat cum profluente Neretva; a meridie cum Gabela; ab Occidente cum Čerin; a media nocte cum Mostar, et Blato Ljutidolac.

Domus nostra, Gradnići in meditullio actualis populationis sita, apricas radices collis Trtre premit. Destructa illa veteri casula, actualis, et cisterna, ab, optimae memoriae, Patre Francisco Kraljević, propria industria, et populi juvamine aedificata fuit 1825.

Est vero domus longa brachia 24. larga 44 duobus tractibus gaudens. Verum anno 1855 alterius novae domus, (in loco ceteroquin durae rupis) fundamenta, et muri ad tractum primum, supra subterraneum vinocellarium, a me facta fuere, relictis multis materialibus: opus autem perfectum fuit a R. P. Philippo Ančić 1861. Est porro ista domus longa brachia 22: larga 42: alta supra vinocellarium ad tres tractus. Primum planum pro Schola populari destinatum, nunc duo cubilia occupant: in superiore vero in integrum est ecclesia, cum unica ara. Huic quoque aedificationi populus in materialibus *tantum* conferebat.

Villae autem hanc constituentes Parochiam, relate ad matricem sic jacent: ab ortu Paoča — Vidovići, — Biletići — Blizanci — Krućevići = a meridie — Gradac, Šurmanci, — Vionica — Biakovići — Medjugorje, — Sužanj — Žuranj. = ab occidente Čitluk (antiquis *Karlovac*) Gornja Blatica = ab aquilone: — Sritnica — Dobroselo — Tepčići — Slipčići. —

Pagus a turcis dictus per excellentiam *cifluk*, (*Karlovac*) et *čitluk*, hoc est, possessio; maxima loci amoemitate, tumque fertilitate nobilitatur. Ejus vineae

*Krvavci* in vini productione plurimum excellunt.

*Karlovac* — Čitluk hodie quoque conspicienda offers magnae arcis rudera: item ecclesiae non multum distanti a fonte *Svetivan*: (Sancti Joannis) unde intelligi datur, ecclesiam quoque S. Joannis fuisse.

*Karlovac*, ubertate et amoenitate alioquin numerosos attraxerat habitatores nobilis genere, divitiis potentes, uti ibidem fere innumera civiliuum domorum rudera, item praemulta, praemagnifica sepulchra testantur. Qnae-dam numismata, et anuli in Korlovac reperti, etiam sunt testimonio dominali conditioni incolarum; sed neque hodie Čitluk nobilium turcarum domibus caret.

*Dobrocelo* antiquae ecclesiae rudera deplorat; et ubinam quoque Parochi residerent, digito prodit. Ad locum antiquae Parochi residentiae, est insigne mortarium, in magno sepulchrali lapide elaboratum; ad tres palmites profunditatis: vocaturque — Mortarium fratrum — Dobrocelo unum habet antiquum nobilium coemeterium; cisternas autem antiquas plures. *Dobrocelo* — pagus bonus — alioquin debuerat esse aliquando talis; sed hodie si feracitatem pro bonitate accipiamus, minus bonus erit.

*Gradnići*, a Gradina vocatur, hoc est, ab exiguae molis arce, quae quondam sibi adjacebat, alioquin in rodus facta. Nobilia sepulchra pauca habet; ignobilia vetusta multa. Ferri metalla abundantia possidet; et a meridionali conspectu non nimia, sed fertilissima, planicie gaudet: fontibus autem insignibus *Studenac*; ac *Sumor*. *Medjugorje*, (cui meridionali longitudine adsidet collis *Crnica*) quondam magnis obtegebatur silvis, *Dubrava*: quas, ab anno 1843, coloni fere ex integro in agros atque vineas converterunt; putantes fore, ut eruti terreni ipsi laboratores domini meneant, juxta saepius manifestata gubernii promissa: quod utinam illis ex sententia succedat; neque siat inanis gubernialis adlectatio, prout fere ubique hucusque fuit in Hercegovina, a quo hujusmodi splendida promissa promulgata sunt.

*Srebrenica* (argentina) est locus in Medjugorie magnae quondam ecclesiae, ac aliorum circum circa multorum ruderum: item magni nobilium plebisque antiqui coemeterii. Hoc in loco saepissime, et a multis testibus, lux copiosissima et valde rutilans observata est: et vulgus, juxta consuetum, magnum ibidem thesaurum reconditum flamas emittere censet. Adsunt quoque nobilia sepulchra in *Rastkrstje*, atque famosa duo in *Štanjevac*. Arces dirutas nominatim numerat Medjugorje — *Miletine* — *Žuželj* — *Šipacva* — et *Beden* prope Cerno. Possidet ad viginti antiquas cisternas.

*Vionica* (locus vini) habet in tribus locis magnifica antiquorum sepulchra.

*Gradac* ab arce derivatum nomen; cuius hodie quoque copiosa cernuntur rudera. *Gradac* sine dubio fuit quondam, si non civitas, sane oppidum praenobile; etenim, prope *Krein dvor*, ad multam extensionem terrae, palatiorum rudera copiosissime absternuntur. Ibidem in loco *Grudine* (lapidum acervi) extant ultra centum nobilium, et magnatum sepulchra. Ecclesiam quoque ibidem suisse et traditio, et superstites affabre secti lapides palam eloquuntur. Imo tradunt nobilem dominum *Ivanović*, nunc autem *Kreović* turcam, duo sua existentia palatia, ex integro de sectis ecclesiae lapidibus construxisse: quod non modo a catholicis, sed etiam a turcis excepti. Crescit autem ratio asserti; ubi circum circa palatia observaveris, et in multis lapidibus signa alterius prioris fabricae deprehenderis; translatos non negabis.

*Gradac* praeter magnum antiquum coemeterium *Grudine*, adhuc tria nobilia antiqua numerat — *Ploča*, ad contiguitatem fontis *Ploča*, et ibidem existentis turcicae moscheae. E hic loci ad unum antiquorum nobilium sepulchrorum est Crux quatuor brachiorum et dimidii altitudinis; transversalibus tamen a turcis decussis: ex lapide nostrali albo, durissimo, in cuius sola verticali

sunt decem exarati gladii bicipites in signum nobilis tumulati. Aliud nobilium coemeterium copiosissimum est Kruska : (pyrus) in quo non tam magni, quam singulariter elaborati lapides deprehenduntur.

Isto in coemeterio duo singularissima adinveni; Crucem S. Andreae in uno parvulo sepulchro ; et in alio sequentem latino sermone ac litteris inscriptionem. «I. Livio. Rufino. Filio. Pia. Elia.» Verum ibidem singularitatem non effugit unica crux antiquitatem referens, et christianorum more tumulo nobili infixa, habens ab imo ad summitatem arborem, velut serpentem tortum, per medium longitudinale, ac laterale transversalium ; cuius in vertice est quodam magnum pomum, ad extremitates autem duorum ramorum transversales occupantium, duae pulcherrimae stellae adnectuntur: et in medio crucis isti arabici numeri 4246, quibus si Redemptionis annum significatum volueris (ut est prudens praesumptio) crux alioqui de recentioribus non erit. Tandem quartum antiquum nobile coemeterium est ad fontem Lemiševac. Igitur tam multa, tamque magnifica coemeteria, antiquam in Gradac numerosam ac divitem populationem sine dubio indicant.

Est porro Gradac amoenitate, fertilitate, fontium perennium copia inter primarias in Broćno terras.

Paoča a famoso Fonte Paočak, vel Paločak; item ab uno nobilium copioso coemeterio nobilitatur: item ab excellentis productione vini Biletići antiquum unum exiguum nobile coemeterium habet. Sed in plano hujus pagi Biletićko polje, ad ripam Neretve, est unica Crux sepulchralis, quinque brachiorum altitudinis: sine ulla nobilitatis signis.

Tepčići pariter in plano ad Neretva est copiosissimum, et summe magnificentum nobilium coemeterium, cum multiformibus stemmatibus familiarum.

Blizanci pulcherima, et fertilissima extremitate Broćensis plani fruitur. Ob pauca in hac villa nobilium sepulchra, non improbabile est antiquos in continuo

Gradac habitatores, etiam in Blizanci suas sativas solum habuisse possessiones. Verum, et si levioris armaturae, existunt tamen etiam in Blizanci rudera trium arcium: — Časak — Ripnoglava — et in Obala; hoc est supra Narentam.

*Krućevići*: antiquis *Kruch*; suo quondam proprio gaudens Comite. Pagus iste hodie in aspero colle situs est, antiquitus vero ad planitiem secus flumen Neretva habitabatur; uti perplura ibidem rudera testantur.

In loco dicto *Krućevići*, ubi turca Ciahja suum non multo pridem aedificavit palatium, praexistebat nobilium antiquorum praemagnificum coemeterium, a dicto turca penitus sublatum. Supra dictum actuale palatium, in loco *Draga*, non spernenda arx extabat.

Item infra palatium ad meridiem antiqui habebant fabricam terrae laterum, hodie dictam *Peé* (fornax) scilicet locus ubi excoquebantur lateres et tegulae: generatim autem locus vocatur Dunajac, a fonte Šurmanci, in suo plano ad Narentam magnifica habet nobilium sepulchra: et in summitate collis *Crnica* arcis rudera, tumque magna cisterna conspicuntur. Šurmanci atque *Krućevići*, praeveniunt omnia alia in Broćno loca, in excellentissima tabachi qualitate; Blizanci autem in egregii vini productione.

## STATUS ANIMARUM

Parochiae Gradnići

in

Broćno: S. Blasii Episcopi et M.

Ob reiterata priscarum: domorum incendia, Parochia haec non nisi ab anno 1775. parochialia possidet protocolla.

A. R. P. Andreas Koračić, Lector Jubilatus, Parochus.  
R. P. Josephus Cigić ex Discr: Custo:  
V. P. Michael Nikolić Cooperator.

*Familiae.*

Pagi	Familiae Catho:	Animae Catho:	Distantia hor:
Gradnići Ma:	32	247.	0
Srtnice	16	87	ho. 4 1/3
Dobroselo	44	394	" 4/3
Slipčići	37	284	" 2 1/2
Tepčići	26	190	" 4 1/2
Biletići	40	92	" 4
Blizanci	32	290	" 4 1/3
Krućevići	15	134	" 2
Šurmanci	29	188	" 2
Biakovići	30	207	" 4 1/3
Medjugorie	54	480	" 4 1/3
Vionica	19	125	" 1/3
Gradac	34	295	" 1/2
Čitluk	44	366	" 4
Služanj	25	108	" 4
Obćuš	9	49	" 1/3
Žuranj	20	150	" 1/3
Padalovina	3	24	" 1/2
Vidovići	14	121	" 1/3
Paoča	11	108	" 1/2
<b>20</b>	<b>495</b>	<b>3923</b>	<b>22</b>

Longitudo hujus Parochiae a Krućevići in Svetivan in Čitluk est horarum trium cum dimidio: latitudo autem a Srtnice in Biakovići horarum trium.

In 47 catholicis coemeteriis hujus Parochiae, totidem extant sacella, in quibus sacram celebratur. In hac Paraecia non nisi quatuor sunt schismaticorum familiae, sed turcarum sunt in diversis pagis viginti octo domus.

## VI.

## GABELA CAPELLANIA LOCALIS

S. Stephani Protom:

Avulsa a sua matrice Gradniči 1852: a quo anno  
et protocolla habet.

*Gabela* est vox italice data huic loco tempore occupationis venetae, ob confinaria vectigalia, quae ibidem exsolvebantur inter turcam, atque venetam Republicam: prius autem cum antiquissima civitate *Narona* coalescebat, cuius Gabella suburbium erat. Gabelum flumen Neretva ab ortu, atque a meridie lambit: et quia *Neretva* etiam ultro ad Gasovćiči usque navigabilis est, Gabella quondam fuit locus sat mercatilis: uti refert Petrus *Gorzoni*, in Historia Reipublicae Venetae: pagina 157: et alibi: quod etiam fieri posse nihil vetat.

Gabella ab oriente pagi, vel mavis oppidi, sat splendidi Fortalicii moenia habet, adhuc non undequaque detrita. Constant diversis turribus irregularibus. Anno 1559. fortalicium hoc naronense reparatum auctumque fuit de mandato Sulimani Sultani: id ipsum curavit fieri de duabus turribus in occidentali parte pagi, quae jam pridem vocabantur turris S. Stephani, et S. Antonii. Fortalicio et turribus Solimanus dederat arabicum nomen — *sedeislum* — (*Ager musulmanicus*). Eadem occasione etiam turris in Citluk, hoc est citra flumen *Krupa*, reparata, atque munita fuit; et universim tum huic loco, tumque hodiernae Gabellae nomen Čitluk a turcis positum fuit. Verum, antequam praefata exequentur, in Gabella jam extabant tres ecclesiae S. Stephani Protomartyris in colle occidentali, S. Antonii in meditullio pagi; S. Mariae prope arcem. Turcae illam S. Stephani devastarunt; alteram S. Antonii in Moscheam verterunt; tertiam quoque S. Mariae dejecerunt. Adfuit vero tunc quidam turca loci, ceu propheta, qui di-

xerat — Sulimanum non diu Fortalitiis potitum quae ecclesiae lapidibus reparaverat — Verum quidquid de natura praesagii opinandum; anno tamen 1694: Delphinus venetarum militarium copiarum Generalis, Gabellam tum obsidione, tumque strenuis armis militibus turcis praeripuit. Hac occasione turcae in singulis nominatis fortalitiis, ac in terra supra *Struge* exitialem receperunt plagam: de qua multis millibus, vix pauci mortem effugerunt. (Gorzoni qui supra).

Pons quoque lapideus in *Struge*, ne turcis effugio esset tunc, temporis demolitus fuit; et nunquam amplius de *lapide* consuerrxit. Interim Delphinus, non minus armis quam pietate praestans, omnes praecitatas ecclesiias antiquo sacro catholico restituit decori; et quartam parvam militarem ecclesiam (ignoti titularis) in ipso fortalitio de novo aedificavit; aucto quoque moeniis fortalitio, tumque turribus reparatis, et omnibus egregie dispositis, Gabellae multiplicem adjunxit splendorem.

Ex albo marmore *Leo*, qui principali arcis insidebat portae, cum consueta inscriptione » Pax tibi *Marcus* Evangelista Meus » etiam hodie ad limen portae dejectus cernitur. Sed licet Gabella multis annis sub *leone* a turcicis vanis conatibus tuta, advenit tandem ipsam itidem ad turcarum manus devenire; sub quibus etiam nunc est. Turca, post viennense bellum, pacem universalem vel invitus quaerens et obtinens, Gabellam suis dominiis readnecti confiniorum signatione recuperavit. Verum loci sorte aequa iniqua ac prius: ecclesiás enim S. Stephani, ac S. Mariae destruens; alias duas in moscheas vertit: quemadmodum hodierna earum rudera testantur. Ante aram majorem S. Stephani est sepulchrum nobilis Familiae *Santié*, suo cum stemmate inciso. Gabella igitur multo ampliora habet in historiarum fragmentis, tumque in extantibus ruderibus suae antiquae specialitatis famosae vestigia, quam ut nos re-eensemus: erat quippe antiquissimae, ac potentissimae Illyrii capitalis civitatis *Naronae* suburbium: et hoc me

dixisse peritis satis esto. De reliquo nomen Gabella non modo determinato, ac paucis descripto loco vulgo adnectitur, sed toti planitiei, hodie a turcis in Čitluk occupatae, aeque applicatur; quamvis singuli pagi, singularia quoque nomina habeant: et ubi volueris *indicare* opidulum *Gabella* ad distinctionem aliorum in *Gabella*, oportebit connectere — *Stara* = *Gabela* — omnia illa sunt, de quibus praefati sumus. Distat a Metkovich una levi hora; a Mostar autem horas septem. Pagus apricas radices collis occupans, abundantibus Narentae aquis circumfusus, campi autem singularissima fertilitate donatus, multis de rationibus se commendat. In eo toties destructa, et readificata ecclesia S. Stephani, nunc demum est populi ac sacerdotis solertia in ampliata (ab antiqua) constructione. Domus autem parochialis est in *Stara* = *Gabella*; aedificata populi concurso, ac P. Simonis Martinović cura anno 1855 - 6: duas habet contignationes. Demum ista extremitatem meridionalem occupans, omnes alios pagos sibi adnexos ad medium noctem habet, excepto unico Cruići supra Vid ad occasum. Conterminat autem ob ortu cum Parochia Dubrave citra Narentam: a meridie cum Metković: ab occasu cum Vid, ac Humac: et ab aquilone cum Gradnići.

In *Stara* = *Gabela* ac suis pagis, non nisi pauca numeramus antiqua nobilium sepulchra. Arces autem antiquae erant supra Goricam — supra Čapljinę — et in Dugangie. Čapljina est opidulum, majori ex parte a catholicis populatum. *Trebizet*, alias *Novoselo*, usque ad annum 1846 erat locus palustris, prorsus inhabitalis: quem Ali Paša Rizvanbegović, electis christianis terreni promissione; item vi quoque compulsis, sativam reddidit terram; fertilitatis abs dubio insignis. Verum Ali Paša, turearum more, promissis haud stetit; totamque planitiem, longam ad horam, largam autem uno quadrante, statim ac vidit ex palude agrum effectum, et muro circumductum, nulla colonis remuneratione facta,

suae usurpator proprietati addixit; pro quo non assem unum, sed plurimum christianum expenderat sudorem, nec non quorumdam etiam vitam (vide *Hercegovina*). Terra igitur ista et dolo, et tyrannide faecunda effecta, hodie Ali Paša posteritati, una cum ibidem constructo palatio, fructificat. In Trebižet, Čapljina, Dretelj, Struge, Gorica, Stara = Gabela planities adjacens in procratione tritici singularis est: alii autem pagi, sub aspero collis *Crnica* et aprico jugo, siecitatis ut plurimum exuruntur. In *Dugangie* Crnica suo aperto sinu parvum exhibet lacum praestantissimae aquae, dictae *Pecina*. Item Dugangie ac Zvirovići prae nobili gloriantur tabacho.

STATUS ANIMARUM  
CAPELLANIAE LOCALIS  
G A B E L A.

V. P. Martinus Ljubić Capellanus Localis.

Pagi	Familiae Catho.	Anim: Catho:	Distantia.
Gabella Residen.	78	474	hor. 0 ---
Struge	10	38	" 1/2
Gorica	22	129	" 1/3
Grabovina	9	61	" 1
Čapljina	43	269	" 1
Dretelj	19	134	" 1 1/2
Crnići	4	24	" 1 1/3
Trebižet	34	342	" 1 1/2
Prćavci	7	58	" 2
Zvirovići	14	122	" 2 1/3
Bitunjani	5	38	" 2 1/3
Dugangie	3	52	" 3
12	248	1741	49

Turcarum	Domus	Animae
Gabela	1	4
Struge	23	80
Čapljina	35	165
Dretelj	15	85
Dolaz	20	144
Žuberić	1	5
summa	95	453

## S c i s m a t i c i

Gabela	25	107
Struge	9	24
Čapljina	46	64
Dretelj	1	5
summa	51	200

## Z i n g a r o r u m

Dretelj	4	9
Struge	4	7
In Čapljina	1	5
In Gabela	1	6
summa	4	28

Longitudo hujus Capellaniae a Nerenta tangente Metkovich ad Dugangie usque, est horarum quatuor: latitudo a Crnić in Struge horae unius cum dimidio.

In hac capellania sunt 40. Catholica Coemeteria, cum totidem sacellis. Schola privata normalium est in Dretelj.



## VII.

## P A R O C H I A M O S T A R

## SS. Petri et Pauli Apost

Mostar est civitas Capitalis totius Provinciae Hercegovinae, et unica vero nomine Civitas in toto districtu nostrae Missionis.

Mostar est nomen compositum: *Most* (pons) et *star* (vetus) Ponsvetus. Cum antiquissima sit in his partibus Slavorum existentia, illique sua lingua pontem in medio civitatis existentem *veteris* nomine compellaverint, haesitare haud possumus pontem hunc certe esse perantiquum. Verum equidem est, in antiquioribus historicis fragmentis, Mostar civitatem *Andricriensem*, et *Andevium* appellari; sed etiam verum est pariter ex historiis *Mostar* ultroquam a quinque saeculis vocari: atque proinde si jam tunc pons *veteris* nomen acquisiverat, multo antiquiorem fuisse quis dubitabit? Est proinde insubsistens turcarum praetensio, qua ingerunt se hujus pontis auctores: scimus quippe qua infesta epocha Hercegovinam occuparunt. Verum, et si exploratum est turcas pontis hujus fundatores non fuisse; etiam inter gnares incertum est, quis deum posuerit hoc magni moliminis opus: aliquem fuisse Romanorum Imperatorum omnes consentiunt; sed quinam fuerit iste, nemo novit tangere. Interim arcus, acuminata constructio, stylum potius Bizantium, et Goticum quam Romanum indicat: nihil tamen repugnante etiam hoc stylo a Romanis pontem aedificatum fuisse. Interim quisquis sit ejus auctor, est illi certe magnae gloriae, tot saeculis confirmatae. Et cum de isto ponte, (cui similis in tota europea turcica possessione non invenitur) sermo incurrit, eumdem brevi descriptione perstringamus. Pons iste suis colossalibus basibus cis et ultra Narentam solidissima praemittit antra. Omnis, et singulus

in eo lapis, etiam fundamentalis, albus et durissimus, est summa peritia sectus atque perpolitus; ita ut conexiones vix distinguens, unum potius, quam plures lapides intuearis. Unico constat arcu, alto *nonaginta* pedes romanos. Ad quatuor latera quaternis turribus pontis bases strenue sustentantur. Igitur iste majestosus pons, si quem habet defectum, is est ex ejus plus aequo acuminato arcu. Interim nimia exuberantia Nerentiae etiam istum defectum fors tenuem reddit: etenim non multum retro contigit, ut ascendentे alluvione, et arbores ex Bosna devehente, totam arcus altitudinem occupaverit; dumque pons minaretur ruinam, audacem quemdam in corbe appensum deponere oportuit, qui serra quosdam arborum ramos recidens, pontem a tristi casu liberavit: audax autem ille erat Antonius Ančić de Mostar.

Igitur pontis auctor etiam consimiles casus videtur praevidisse in elevatione arcus.

~~¶~~ Est porro iste pons ceu anima civitatis, tenens non modo in communicatione civitatem bipartitam a Neretva, sed etiam pro communicatione totius Bosnae cum Metcovich. Ejus pernecassariam subsistentiam etiam turcae magni dueunt: idcirco arenis jugiter ejus supernos lapides, ne tritione consumentur, obtegunt; et, ne vel concutiantur, nihil sinunt curru vehi per pontem. Pontem istum, cum suis quatuor turribus, inter quos sunt binae magnae portae hinc et inde, vulgo *grad* (arcem) vocant. Turres sunt ad quatuor contignationes; (a fundamentis autem ad plures) serviuntque partim pro duris careeribus, partim autem pro pulveris pyrei promptuariis. Turres certo certius ab suis exordiis ad actualem supra pontem altitudinem. non fuerant evectae: superior enim labor manus nobilis; postremum, et fors turicum signat opus: interim nos alia arripiamus.

Civitas Mostar est veluti in faneibus montis *Velež*, et magni collis *Hum*. Velež ab oriente, Hum autem ab

occasu adjacentes, hinc et inde angustam relinquunt sequens Neretva planitiem, civium domibus consitam. Ab oriente meridionali angustia loci, inter montes atque amnem, vero sensu est talis ad pontem usque, sive medullum longitudinale civitatis; non sic autem ex aquilonari parte ad occasum inclinante; ubi et Velež et Hum circumvergentes, majori planicie Bilopolje, ac Cerničkopolje dant locum. Igitur civitas Mostar non nisi ab occidente, et partim ab aquilone apertum et pulchrum habet conspectum: cuius pars pulcherrima est *Carina*: hoc est *vectigalium* locus.

Ejus longitudo a meridie ad medianam noctem protenditur proxime ad unam horam; latitudo vero circa medianam horam. Unicum habet suburbium *Zahum*, tendens ad occasum versus Iliići.

Distat a Metkovich horas 7: a Konjic 12: a Nesusinje 7: ab Imo a 6: Imoski 11 horas. Velež atque Hum, horridam calvitiem salviae abundantia tectam, civibus minus exosam offerunt.

Verum Velež apricæ radices vineis, fructibusque feraces alioquin propiorem conspectum ainoenum redundunt; non sic autem praeruptus collis Hum. Clima vero mostariense inter mitiora Hercegovinae, mitissimum est: ad planum Mostar vix et rarissime nives est videre; sicut et levem congelationem.

Mostar duo flumina habet, Neretva et Radobalja. Neretva precipitoso, profundissimo, et salebrosissimo defluit alveo; atque ideo praeter quod bonos porrigat pisces, ac devehendis ex Narenta trabibus deserviat, potionem quoque saluberrimae acquae propinet; de cetero si non saepius exundans magno damno praecepitatur, nullo sane alio humano emolumento transfluit. Ab ingressu in mare ad Počitelj usque vel minoribus naviculis subest; sed ab illo loco per quinque horas usque ad Mostar est plane innavigabilis; et similiter talis usque ad suas scaturigines; quae sunt supra Nessinje post montem Visočita; et nequaquam ad ra-

dices *Bitovnja*; prout quidam scribunt, sumpto de *mala Neretva* aequivoco. Neretva, suis millenis contortis flutionibus, antequam ad mare pertingat fors plusquam nonaginta italica milliaria consicere debet.

*Radobolja*: (insana) exiguis fluvius supra Mostar in *Cim* ab occasu, de sub colle Mikuljača prosiliens. Juxta aetimologiae explicationem a me datam, Radobolja vulgo censemur minus salubris; maxime pro extra-neis non assuetis. Neque ipse multum abssem ab hujusmodi opinione; Radobolja enim materiis calcareis praesatura, minus limpida, tophum copiosissimum producens, facilis callefactu ac refrigeratu; alioquin salubritatis minus habebit. Interim aqua haec in ratione multiformis communis utilitatis praestantissima est, suis faecundantibus irrigationibus; item molendinis permultis, ac aliis fabricis aquarum subministratio. Ab sua scaturigine, antequam in Narentam influat, ad angulum occidentalem *pontis veteris*, parvum habet tractum semi alterae horae spatii; sed nullibi inutilem. Est quoque ex hoc ipso flumine desumpta aqua quae deducta, etiam ultra Nerentam, civium usibus deservit. Praetendunt hanc aquam eamdem esse cum illa de Lištica, scaturiente ex altera parte occidentali collis; interim Lištica et limpidior appetet, et plus piscibus abundat. Supra Carina ad fundum Bilopolje, habemus fontem — Divojačka voda — *aqua puellae*: nempe, eo quod quaedam puella suis impendiis dictam aquam in sua scaturigine in ductum colligens, et ad viam regiam deducens, perenni fonte viatoribus beneficium praeparaverit.

Capitum, et qualificatorum tum civilium, tumque Religiosorum hac in matrice urbe residentiam esse, jam pridem innui. Quod munditiem, et plateas civitatis spectat, ab isto ultimo biennio sufficienter bene coeperunt suam decentiam. Domus in civitate ut plurimum sunt antiquae turcicae constructionis, solidissimae quidem, sed minus convenientis artis regulis. Alto ex omni parte, maxime a viis publicis, vallatae sunt muro

turcicae domus; atque diceres monialium conventicula: et quia hujusmodi areis atque hortis passim intersecantur, hinc sit ut civitas multum occupet spatii, domos aulem relate paucas habeat.

Verum istis ultimis annis, praeter Christianos, etiam quidam minus phanatici turcae elegantioris dimensionis domos efformare coeperunt: estque hodie plures videre non ignobilis styli, puta militum habitaculum. Inter Christianorum fabricas eminent Catholici Episcopi Residentia, Catholicorum atque Graeco = Schismaticorum Scholae.

Turcarum Moschea sunt 33. in hac civitate, plus minusque elegantes; sed illa *Karagiusbegova* omnibus praecedit: hancve dicunt S. Stephani ecclesiae fundamenta praemere. Turcae habent scholas communales 23. dictas Mećeleb: nos autem unam, et Graeci pariter unam: partiales vero plures. Medicum habemus *unum* pro tota provincia residentem in Mostar!! pharmaco-peam unam! Hospitalc nullam! Diversoria minus commoda 40.

Officinas mercantiles ultra tercentas; et ab aliquibus annis nonnullas sat eleganter constructas. Mercatores potentiores nostra in civitate sunt Schismatici, tum turcae, catholici autem in numero minimo, et ceu novitii in negotio.

Ecclesiae nostrae antiquae, quantum ex traditione hausimus, tres erant in Mostar: S. Stephani, S. Lucae, cuius etiam hodie turris campanaria existens, commune horologium sustinet: et ecclesia cum Conventu Franciscanorum S. Antonii Patavini; ad Radobolja sub Hum. Est porro sub Vukodō, ad medium noctem in sububrio *Podhum* moschea, quam recensem fuisse S. Annae ecclesiam: et ibidem proximum antiquum ponticulum, etiam hodie *pontem S. Annae* compellant. In proximo autem pago occidentali Iliići duae antiquae erant ecclesiae, una ad descensum Fontis *Babun*, S. Rosae Viterbiensis: cuius muri etiam hodie existunt, turcicae ser-

vientes moscheae: et alia in *Smrčenjaci* S. Mariae ad Nives, in rudus redacta. Graeci schismatici Mostar in *Suhodolina* habent Conventum exiguum antiquum; item ecclesiam etiam parvam; sed nova, quam aedificant a quatuor annis, sat est magna, et multi impendii molimentum; styli autem minus clari. Nos autem Catholici, ad actuale servitium cultus, in Residentia habemus Oratorium, atque Sacellum (vide descriptionem Residentiae VI) et aliud publicum Oratorium in Vice — Consulatu Austriaco: novam quoque ecclesiam SS. Petri et Pauli Apost: in constructione habemus: Vide ejus mentionem Numero VI:) quae postulat, ut aliquid de illa proloquamur.

**Nova ecclesia Catholica.** De ejus opportunissimo sitū, et ejusdem aquisitio-  
ne, dicto tetigimus numero VI. Est vero planum, ca-  
tholico populo pro ecclesiae usu donatum longum, bra-  
chia 442. latum 442. omni tempore ab aquis irriga-  
bile, ubi lubeat.

Terrae superficies faecundam habet naturam; sed ejus imma viscera, propter antiquas aluviones (de quibus infra) multigenia sabuleti strata exhibent.

In hoc igitur plano nostra nova ecclesia incopta est aedificari anno 1866: die 7. Martii. Ejus longitudo (cum Sanctuario) est brachiorum 52: latitudo 26. Capella autem Sanctuarii longa est brachia 44, ampla 13. Ab oriente capellae adhaeret sacrarium, longum brachia 7, latum 7. Eidem capellae ab occidente assidet turris campanaria, longa brachia 5, lata 5. Stylus ecclesiae est Corinthius; et tota sacrae aedis longitudo ad sanctuarium usque, tribus constat *alis*: media magna, duabus autem lateralibus minoribus: capella autem suscep-  
pto suo arcu, distinctum debet habere fornicem. Externae alae quoque habent quatuor fenestras duorum brachiorum, cum dimido altitudinis, unius autem cum quadrante latitudinis; idem et media ala obtinebit. Capella duas fenestras, ac unam in medio stellam perforatam; item Sacrarium duas habet fenestras. Quinque

portas ecclesia habet, laterales ex adverso duas; in fronte autem tres; quibus singulis singulae insident magnae stellae.

Anno mox elapso, per septem menses continuos (me assistente) alae externae usque tectum in altitudinem superficialem brachiorum 10 1/2 elevatae fuere, et omnis circuitus, etiam Capellae, ac sacrarii, tumque turris ad eamdem altitudinem. Fundamenta ad tria brachia depressa, solidae quercus trabium premunt retia. Nunc jam instat ut media ala columnis, et arcubus imponatur, utque multum supra laterales emineat alas, turris quoque ut ad convenientem elevetur altitudinem; tumque omnia tecto reparentur.

Interim quoque descripta consurrexerunt impensi — sunt floreni 44,700. Ad quam summam, (una cum fundo) 2500 florenos Turcarum Imperatoris generositas contulit; reliqui autem sunt ferme omnes de collectis, alibi factis, deque a Propaganda Lugdunensi subministratis. Neque aliquis miretur quasi multum impendissemus; aut si a me intelligat *omne brachium quadratum muri quatuor* florenos cum dimidio constare, etiam ne miretur; etenim non habentibus nobis in loco ad manus nisi solam aquam, alia materialia difficulter, et a longinquo procurata, alioquin cariori solvenda sunt pretio. Si igitur magna summa insumpta est, etiam multo major insummenda erit, quoque ista perficiatur cathedralis. Verum ne cui in mentem subeat, nos uti ex necessitate magnam, sic etiam ex jactantia, nimis exornato stylo coepisse ecclesiam; ideoque tam magnam requiri summam; pro certissimo habeat: nos salvis soliditate, atque decentia, maximam in stylo constructionis simplicitatem servavisse: uti cuique insipienti patet. Igitur ut et necessitati, et sacri cultus decori prospicere queamus, adhuc generositate benefactorum plurimum indigemus.

Schola Catholica Sicut ecclesia cultui, sic schola mentium exultationi pernecessaria erat. Hanc jam pridem ab Illus-

in simo: Barišić introductam fuisse superius dedimus. Sed Mostar. quum Scholastica domus in Vukodō constituta pro pu- eris civitatensibus nimis distaret, Gallici Imperatoris Be-neficentia, solicitudine autem actualis Ill. Episcopi Kraljević, in ipsa civitate ampla domus pro scholis empta est 1866. florenis 6, 022: de quibus 4500 gallicae debitores sumus beneficentiae: 1522 de nostris collec-tis expendimus.

Domus porro (nova) praeter subterranea, et ad-jectam domunculam, duo habet magna cubilia, quatuor autem minora, aream quoque amplam in primo piano; tectum vero de metallicaem mixturae laminis. Masculi, et etiam faeminae istam frequentant Scholam, docente eos nostro Religioso, nulla praefixa solutione. Scholares sunt communiter circa septuaginta; et docentium numerum alioquin augeri exigunt, ut ipsi et con-venientius edoceantur, et numero augeantur. In hac schola dives et pauper aequo nihil solvunt, omnibusque aequaliter porta patet. Schola ista tum nostram, tum alienam attentionem meretur: nam praeter quod nullos habet introitus communes, nulla etiam possidet media, quibus pauperibus libros procuret.

Episcopi solemnis Ecclesiae aedificatio, Scholae procuratio in hac ci-  
solemnis vitate, post tot squaloris saecula, nostro utique sunt de-  
Ingressus cori; Religionis autem Catholicae, absque dubio splen-dido triumpho. Verum etiam publicus atque solemnis  
in ingressus, quem die 13 Junii 1865 Illuss: et Revdss:  
Mostar. Dominus Angelus Kraljević Episcopus, in hanc civita-tem fecit, singulari addicitur triumpho. Jam a quatuor saeculis, ex quo civitas haec catholicorum ammisit li-bertatem, nostri Vicarii Apostolici, Episcopi, si quando in illam ingressi sunt, hoc sane ceu furtive, et nimis privatim; antiquusque turcarum phanatismus, tam altas nostra in corda timoris jecerat radices, ut publicum aliquando futurum Episcopi Ingressum numquam spe-raremus. Sed Supremus rerum, ac vicissitudinum Tem-perator, saepe supra omnem humanam praevisionem

spemque, magnos, ac stupendos parat eventus. Si te prioris turcicae rigiditatis, et die 13 Junii habuissem mansuetudinis spectatorem, nullum dubium qui dixisses — haec mutatio dexteræ Domini — ! Die igitur indicato, redeunte Illuss: Dno: post habitam Consecrationem , ex Stara Gabela, comitantibus sex sacerdotibus, et selecta populi turba equitum atque peditum, inter ferventissimae simul ac honestissimae laetitiae cantus, sclopotorumque ejaculationes frequentissimas, secus flumen Neretva ad metropolim civitatem, suamque Residentiam cooperat sex horarum iter. Verum circa vigesimam primam horam, in Zaton, distans duabus a Residentia horis, Vesirii officiales, honoris causa missi, Christianarum potentiarum Consules, atque officiales; electior demum civium Catholicorum turba avida Pastoris praestolabatur adventum. Is quum illis primam episcopalem impertiisset benedictionem, longo equitum, peditumque per planum Bišće disposito ordine sequebatur iter, obviante continuo, et multum crescente multitudine comitante. Atque sic ubi ad portam civitatis *Dona mahla supra Čekrk* ventum fuit, jam tres alii adspectaverant Sacerdotes, cum in ordinem disposita, superpeliceisque induita scholastica juventute. Tunc Episcopus ex equo descendens, episcopalesque vestes sumens, praecedente magna in hasta deargentata Cruce, ceroferariisque, turibulis fumantibus, et sacerdote sequente, pluviali induito, processio sacra ordinata fuit: cui media hora intineris conficiendi instabat. Inter sacros cantus processio lento gradiebatur gressu, sequente illum Episcopo, ad Residentiam usque. Coeremonia tum pia, tumque solemnis ac insueta, innumerabilem populi attraxerat multitudinem: confessionis religiosae nulla dignoscebatur distinctio: Catholici, Schismatici, Turcae, Zingari, Hebrei aequi concursi refertissimas effecerant plateas: omnis porta, fenestra omnis spectatoribus plena erat; muri atriorum, domorumque tecta copiosam gentis turbam sustinebant. In hac occasione vel ipsae tur-

cicæ Faeminae, conditionis suae ceu oblitaæ, ex succlu-  
sis portis, exque apertis fenestris suae satisdabant cu-  
riositati. In toto processionali tractu, nihil vel minimum  
insolentis audire fas fuit, in omniumque vultibus attoni-  
tam dabatur conspicere laetitiam.

Sic igitur auspicatissime ad residentiale processio  
perveniens Oratorium, jam in illo, jamque in atrio, ac  
circa domum tam spissa consistebat multitudo gentis,  
ut revera admirareris. Decantatis igitur gratiarum ac-  
tionibus, postque sermonem, pro prima vice Pastor  
suis ovibus Indulgentiarum pabulum impertiens, eisque  
pro filiali affectu grates referens, auspicatum ad proprias  
domos redditum ominatus est. Sic istam, breviter exara-  
tam solemnitatem, confer, amate lector, cum illa tetri-  
fera quam experiebatur Barišić Episcopus, in hac ipsa  
civitate, Residentiam dum fundare vellet: immensamque  
differentiam nega si vales. Prius Episcopus, etiam aliena  
veste tectus, hos inter concives, Religionis hostes, etiam  
de nocte insecurus erat; nunc autem pontificalibus in-  
dutus, securus de meridie gradiens, reverentiae obse-  
quia pro ludibriis passim excipit. Haud multo pridem, ab  
hac ipsa civitate procul nobis quaerenda erant abdita  
loca, ubi vel privatum inter timores liceret celebrare  
sacrum; nunc jam vero sacro nostro turcicae personant  
domus cantu; neque est cuius excitetur ira . . .

Quod vero militarem apparatum nostræ civitatis  
coneernit, is in fortalitiis nullus est: unicum enim est  
ad Vesirii, aut Kajmekan palatum, suggestum, in quo  
pauca tormenta bellica collocari possent. Est autem præ-  
sidialis militia, modo pluribus, modo minoribus millibus  
constans, habens quidem suum, et si levem apparatum,  
miserae plebis in jumentis hinc inde transferendum,  
enecatione fere omnium equorum. Inter pauca tormenta  
bellica in Mostar ab antiquo existentia, et de fortalitiis  
Blagaj deveeta, est unus sat magnum cum ista inscrip-  
tione. « Maximilianus Secundus Imperator semper  
Electus. Archidux Austriae: Hungariae, Bohemiae Rex  
Dux Burgundiae MDLXIII. »

Plura iste Imperator cum turcis bella gessit, nec scimus in quonam turcae dictum praeeripuerint tormentum.

*Blagaj;* (locus thesauri, vel pacifica silva; vel demum mitis climatis locus) Hercegovinae Ducum postrema sedes fuit. A Mostar est ad ortum, horis duabus, ad radices apricas montis Včež, ac in fundo boreali plani Bišće. Ex dicti montis radicibus assurgit saevus scopulus, altus plusquam sexcentis pedibus romanis, procero fonti fluminis *Buna* (turbans) insidens. In scopulo igitur isto, ceu in elevato et undique vix scandibili acervo, est per antiquum, adhuc in bono statu, solidum, de minoribus, fortalitium, tribus provisum cisternis. Priscis temporibus fortalitium hoc in plano ad seaturiginem, considerabilem defendebat civitatem Blagaj; nunc autem non nisi paucas domus, et unam moscheam habet. Usque ad duos retro annos, [turcae in Blagaj bellica tenebant tormenta: ex quo est colligere, praerecitatum fortalitium etiam a turcis aestinari. Totum apricum pedimentum a Blagaj Mostar usque minus ferax quam amoenum est.

Buna ex Blagaj profluens intra meridiem ac occidentem in Neretva influit; sed antequam confluant duos recipit antiquae manus lapideos pontes: in Blagaj unum, et alium in pago dicto de Flumine *Buna*, viam in Stolac per Gubavica (leprosa) transmittens. Iste ultimus pons 9. arcubus constat, estque opus tum pulchrum, tumque solidum.

Prope istum pontem sunt possessiones quondam Alipaša Rizvanbegović: duo ejusdem palatia atque moschea ibidem non tam multo pridem aedificata, jam jam ruinas minantur: hoc est, male parta male dilabuntur . . .

Pagus *Buna* quam quam boreali expositus vento, multum tamen faecundus est vino.

Intra extremitatem occidentalem colliculi *Gubavica*, et extremitatem collis *Trtre* est angustissima vallis, extreme aspera, Narentae transitum praebens. Angustae

hujus vallis fauces *Zaton* vulgo nominatur: hoc est, quasi dices *Submergens*. Et antequam Narentae, Iasenicae, et Bunae in unum confluxis conveniens per hunc locum trasitus pateret, iste locus alioquin dici poterat velut totalis causa, cur Bišće tuinque Bilopolje, et omnia circa Mostar in plano, altis submergerentur aquis.

Quod porro dictae planities ultra quam per quinque horas longitudinis, exuberantissimis ab aquis occuparentur; fuerintque ceu magnae profunditatis lacus, etiam majores naves sustinens; hoc et stratum glabri fluvialis sabuli ubique alta congerie occurrens; et in multis elevatis circa planitiem rupibus, ferrei confixi circuli, navibus adligandis qui deserviebant, nitide testificantur. Cumque de hoc nemo sanus dubitare debat; etiam inferendum, actualem civitatis Mostar situm tunc temporis pariter aquis subjectum fuisse; atque proinde ipsam actualem civitatem neutiquam de antiquissimis esse. Hoc nos etiam magis confirmat, ut idemtidem repetamus: antiquissimam gentem ac civitatem *Hum-ska*, in elevato *Hum* ad magnum lacum habuisse sedem: et actu existentia magnae arcis rudera *Novi in Hum* dictae civitati defensioni servuisse, nihil obstat qui credamus. Sed quando, ac qualiter discessisse *Zaton* lacus desierit esse, nihil certi novimus.

Duae occurruunt hanc rem concernentes sententiae, aut potius conjecturae: prima tenet, post multa ac multa tempora, Narentam proprio impetu sensim sibi per *Zaton* aperuisse viam: altera est: quemdam Graecorum Imperatorem, aut Egypti regem Ptolomaeum altam confregisse rupem. Verum penitus inspectus locus, et nulla scissionis exhibens signa, postremo recensitae traditioni non videtur multum favere: rupes etiam solidissimi lapidis, per quas, intra quasque Neretva magno transcurrit murmure, etiam priori sententiae non videatur subscribere; scilicet, aquam suo pondere solo montem lapidis duri discindere potuisse. Verum utut res

sit, *innundationes* in istis planis si antiquissimae fuerint, etiam dissicatio non adeo recens est. Etenim *famosa* nobilium Sepulchra, plurimum antiqua esse, certo novimus; cumque haec in planitiebus quondam innundatis passim occurrant, nec priora alluvionibus supponi queant; certum efficitur, exsicationem, quocumque modo operatam, pariter vetustam esse.

Interim planities Bišće, in qua nunc versamur, ad orientem, et meridiem inclinat duas horas longitudinis, unam autem latitudinis habet. Cordis figuram reffert, cuius cuspx est ad ingressum Mostar. A flumine Neretva, fere per medium obliquum seccatur; a flumine autem Jasenica plani meridionalis ora irrigatur. *Bišće* arboribus destitutum, magno boreali vento patet, ita ut subinde transitum paepepediat; minima in parte agricolae culturae subest: quod utique dolendum, ubi in sumitate occidentali Jasenice scaturiginem habens, totum magnum spatium, inter Neretva et collem *Kobilovača*, commoda irrigatione faecundari posset,

*Pagus Jasenica* inter flumen sui nominis ac radices boreales collis *Nimačka* (Germanornm) et *Kobilovača* occupat: estque locus plurimae faecunditatis. *Rodoč* occidentalem partem Bišće habet: ex hoc pago tabachum praenobilis, singularissimi odoris est.

*Illići*, atque *Cim*, amoenitatibus colliculorum, selectissimi vini productionibus mire deserviunt; item Radobolje irrigationibus, inter primarias civitatis adjacentias computantur.

In primo pagorum est locus *Smrčenjak* (pinetum, vel potius locus juniperis consitus) in quo ecclesiam S. Mariae ad Nives fuisse traditio, ruderaque ferunt. In istis pagis pluribus in locis nobilium extantia sepulchra, etiam antiquos his locis delectatos fuisse, certo indicant.

*Bilopolje* (campus Albus) fors vel ideo appellatus, quod post dissicationem ex sabulo totus albesceret, prout hodie quoque multis in locis albescit.

Planum hoc, a media nocte ad meridiem inclinatum, a Mostar Selakovac usque, ad tres longitudinales horas extenditur; in latitudinem autem vix medianam horam exaequat. Bilopolje falcis similitudinem praesefert; cuius meridionale, ac occidentale concavum a Neretva scinditur; dorsum autem a montibus *Velež*, *Porinque* orientalibus, ac aquilonaribus circumflectitur. Romanos suum nunquam ultra hoc planum extendisse dominatum, communiter censemur. Pagi circa Bilopolje existentes singularis faecunditatis haud sunt; ex multis autem antiquis coemeteriis, circa hanc planitiem existentibus, antiquitus quoque copiosiorem fuisse actuali productiōnem non ambigerem.

Interim in Bilopolje pagis, sequentes principales habemus antiquitatis reliquias.

In *Suhodô* circulus magnus ferreus ab alta rupe pendens; plura quoque nobilium sepulchra sunt.

In Vrabčići Coemeterium *Kraljevine* (regalia) dictum; multa et magnifica sepulchra antiqua, et ad unum illorum lapidea crux tribus brachiis eminens.

In *Kuti* item circulus ferreus, et bina antiqua magnifica coemeteria. *Livac*, Livać parvum flumen habens; tumque ampliae antiquae rudera arcis, atque magnatorum plurima sepulchra. *Potoci* (fluentes) a parvo flumine ibidem scaturiente; ad cujus proximitatem extant antiquae ecclesiae rudera, tumque magna sepulchra. *Potoci* ad apricas radices *Porim*, omnium in Bilopolje locorum praestantiorem occupant. Hic loci ex tant tres antiquae turres, quarum una nondum penitus in rudus redacta, *Ivan—Beg* vocatur, (hoc est *Joannis—Nobilis*) *Ivan—Beg* autem istum *generum* fuisse herois Georgii *Skender—Beg* dicti, multorum opinio est: item istum eumdem esse *Ivan—Beg*, cuius antiquum hodie Montis — Nigri incolae dominatum ex cineribus evocare vellent, etiam multi adjudicant. Interim praeter *Ivan—Beg* turrim, plurium ibidem fabricarum rudera extant; et etiam sacellum pulchrae elaborationis. Ferunt quosdam Dalmatas ex hoc sacello lapidem descriptum abstulisse

paucis retro annis, in quo, praeter alia, sequens annus 1480. signatus apparebat. In *Lišani*, pago perennibus fontibus multis proviso, multa, et magnifica reperiuntur sepulchra; etiam regia ex familia oriundorum stemmata referentia. Cruce in pariter antiquam lapideam, sepulchrale, altam ad tria brachia ibidem est cernere. *Prigradjani* multa antiqua nobilium numerat sepulchra: in coemeterio autem catholico habitatores loci indicant sepulchrum sat antiquum, cuiusdam ignoti Franciscani, aquis Narentae submersi, dum de Konjic iter ageret.

*Citluk* ferme ex adverso ingressus fluminis Drežnica in Neretva: arcis rudera, ecclesiae, atque pluriū aedificiorum habet.

Inter multa, in sepulchralibus lapidibus ibidem excisa, curiosa sunt quaedam visu.

*Grabovica* pagus ad 4 horas secus Neretva protractus, remotissimus autem a Metropoli; antiquitas ferme nihil habet: est vero in eo magnae vis fons *Crnovrilo* (fons niger) qui etiam aestivo tempore plusquam ad tria brachia aquam in altum projicit.

In *Vojno*, atque inter Vojno et *Raštani*, sunt Famosi ferrei circuli, in alta rupe plumbō obsignati. Sub isto pago a flumine Neretva Iliči versus, ad multam extensionem sunt carbones fossiles.

Hic etiam in Neretva occurit singularis canalis, dictus *Skakala*, (saltus). In plano, non quidem nimium inclinato ad meridiem, Neretva, ad centum quinquaginta longitudinales passus, inter duos scopulos, vix uno brachio invicem distantes, tantam alvei profunditatem nocta est, et quamquam sit magnum flumen, dummodo extraordinarie non redundet, totum ab illo canali absorbetur; ita ut ex uno scopulo ad alium sicco passu cuique transitus pateat. Hic proxime extabat antiqua rotundiformis turris magno, dupli solidi muro cincta, transitu per schalam chocleae instar constructam. Anno elapso turris haec reparata, prom-

ptuariis pulveris pyrei deservit: antea autem praesidio deserviebat, ne cui inimico per *skakala* liber transitus pataret. Žrvanj est parvum manuale molendinum; hujus in Hercegovina frequentissimus usus est in domibus privatis; pro quibus, sicuti et pro majoribus molis eruibiles supra *Cim* in Žrvnjovača reperiuntur.

Parochia Mostar, uti jam alibi dictum est, ab antiquo cum illa de Gradac erat; estque Mostar a Gradac separatus 1849: a quo tempore et libros *Formarum* habet.

Loca autem administrata ab isto Parocho, relate ad metropolim sic se habent: ab ortu pagus Gnojnice atque Oppidulum Blagaj: a Meridie Buna, Jasenica et Rodoč: ad occasum Miljkovići, Iliići, Cim, Galac, Sovići; et intra medium noctem atque occasum, tunique ortum et medium noctem sunt omnes alii pagi, quos tibi tabella status animarum porrigit. Conterminat autem Parochia Mostar ab ortu cum illa Dioecesis Tribunensis, de civitate Stolac (sedes) Dubrave: a meridie cum Gradnići Broćno: ab occasu cum Ljuti dolac in Blato, atque Gradac; a media nocte cum Konjic = Zaslivlje.

## STATUS ANIMARUM

### PAROCHIAE MOSTAR.

V. P. ANTONIUS LUBURIĆ Parochus

V. P. Paulus Petrović Cooperator.

M. V. P. Antonius Karačić Magister Scholae; et Capellanus Consularis.

FILIALES	L O C A	Domus.	Animaæ.	Distan.
	Mostar Civitas	398	1715	.
	Blagaj Opidum	5	20	ho. 2
	Buna	13	65	2
	Bakšim	9	68	— 412
	Bučić	4	30	

F I L I A L E S

L O C A	Dom.	Anim.	Dist.
Borčine	2	7	4 4 2
Cim	34	240	4 4 2
Čitluk	4	20	6
Dračevo	4	47	7 4 2
Grabovica	9	43	8
Gornja-sela	2	6	6
Horlac	3	19	3
Gnojnice	20	80	4 4 2
Jasenica	33	224	4 4 2
Jasenjani	8	55	6
Ilići	20	184	4
Galac	4	54	2
Kuti	2	9	3
Livoč	3	24	2
Lišani	4	17	2
Miljkovići	5	35	4
Potoci	22	125	2 2 2
Podgorani	3	15	2 2 2
Planinica	15	85	2
Podgradjani	4	8	3
Ravni	3	44	4
Ričina	4	7	4
Rodoč	37	224	4
Raškagora	4	40	3
Raštani	7	54	1 4 2
Subidoh	4	47	4 4 2
Sovići	16	157	2
Vrabčići	10	83	2
Vojno	5	43	2
Viovići	4	16	1
Zalik	4	44	1
—	36	—	—
	740	3900	94

Longitudo hujus Parochiae de Buna in Grabovica est horarum 40: Latitudo a Galac in Zalik horar. 2.

Coemeteria autem Catholica partim septa, et habentia sacella, partim autem non; sunt 22: praeter plura alia antiquata.

Alias recensitam impossibilitatem referendi acatholicos, nobiscum commixtos, hic vel maxime repeto, tum quoad civitatem, tumque quoad multos pagos, in quibus nullus de nostris est; qui aut occulte nobis referat alienae religionis cohabitatores.

Hic in civitate nulli diligentiae parcentes, vix approximativam statisticam, et velut furtive obtinere potuimus; turcae enim nostri non solum, sed alii quoque insanis suspicionibus laborant: igitur illorum statisticam non qualem vellem, sed qualem possum exhibeo, in sequente tabella.

F I L I A L E S	L O C I	F A M I L I A E			
		Turca:	Schis.	Zinga.	Hebreor
	Mostar	2200	500	420	48
	Blagaj	72	40		
	Buna	6	44		
	Bakšim	0	6		
	Borčine	6	6		
	Cim	2	0		
	Grabovica	7	0		
	Gnojnice	0	40		
	Jasenica	6	0		
	Jasenjani	6	7		
	Ilići	45	6		
	Kuti	5	6		
	Livač	3	6		
	Lišani	5	4		
	Miljkovići	7	0		

## FILIALES

			hic habent no- vam ecclesiam
	Patoci	2	30
	Podgorani	45	45
	Planinica	0	3
	Podgragiani	42	20
	Ravni	6	9
	Rodoč	3	0
	Raštani	2	8
	Suhidoh	6	45
	Sovići	—	6
	Vrabčići	6	2
	Vojno	4	3
	Zalik	3	4
	Podvelež	440	—
	Zemlje	0	25
	Dolac	3	—
	Baćevići	0	48
	Kozica	7	—
		3549	733
			120
			18

Verum nostra in civitate praeter milites, et officiis addictos, multi sunt etiam de omni Religione servi, atque ancillae, quorum numerum haud est rescire: item plurimi alienigenae artifices, quorum pariter numerum ignoramus: estque sane civitas multum numerosior, quam judices ex subjecta statistica.



VIII.  
P A R O C H I A K O N J I C  
S. Joannis Baptistae,

Avvulsa a sua matrice *Podhum* anno 1839: a quo tempore etiam protocolla habet; sub nomine Capellaniae Localis in Zaslavlje; ubi quidam Catholici fundum gratis dederant solertiae P. Michaelis *Kabača*; qui ibidem sati amplam domum aedificaverat, et si minus aconomice interne divisam. Verum, quamquam dicta domus pro tunc temporis, et in Parochiae extremitate, et in diffcilis accessus loco constitui debuerit, anno elapso in *Konjic* fundus, domusque a quodam turca empta sunt, ex collectis alibi factis, pretio florenorum 4,206: ibidemque nunc parochiale trasferendi domum in votis est; militantibus pro hac causa multis rationibus.

*Konjic*, temporibus Bosnae regum nobile oppidum erat, adeo ut regni Comitia excipere mereretur. Sed neque inter turcicas possessiones ignobilem occupat locum; est enim in *Konjic*, tum *Mudir* tribunal, tumque *Kadi* judicium. *Konjic* undique fere altis collibus septus, penes profundum Narentae alveum hinc et inde exiguo extenditur tractu, dividente flumine oppidum quasi per medietatem longitudinalem, ab ortu ad occasum. Pro communicatione tum oppidanorum, tumque pro transitu viae regiae de Bosna in Hercegovinam, elegans, solidusque pons in medio oppidi usum praestat: quem a Falimiro Dalmatiae rege, 40. Saeculo aedificatum fuisse accepimus; quamquam turcae id nobilis operis sibi adscriptum vellent. Igitur in *Konjic* uti de antiquo nihil est praeter pontem, sic etiam ibidem aliquid magnifici frustra quaereres. Sunt autem in *Konjic* Moscheae 4: quas dicunt esse in totidem ecclesiarum fundis, praeter extantia S. Eliae ecclesiae rudera, in Musala S. Catharinae, tumque S. Joannis ecclesiae, ac Conventus nostri: de quo alibi diximus. Interim civilis Hercegovinae a Bosna divisio, facta anno 1832 est a

meridie usque ad dictum pontem; ita ut oppidani cis Narentam existentes, Hercegovinenses, ultra vero Bosnenses censeantur. Verum ecclesiastica divisio istam non servat metam; nosque, quemadmodum penes Mostar, hic quoque aliquot pagos habemus etiam ultra Narentam; uti in suo notabimus loco. Ut vero aliquid generatim de ista innuam Parochia, ipsa certe in populatione nostra de minoribus est, in servitio autem difficillimo de summe arduis. Etenim in tota ejus extensione topographica, nullibi est invenire vel minimum planum: continuis collibus, arctisque vallibus constat: quovis te conseras, ascendendum, aut descendendum jugiter tibi erit: cum quali autem vitae periculo, praesertim tempore hiemis, tu recogites. Interim isti montes, colles, vallesque communiter pingui argiloso abundant terreno, silvis, atque pratis, tumque fere innumeris sanissimis fontibus: atque ideo loca illa tot varietatum collibus viridantibus consita, multum amoena pro intuitu scias. Quod vero hujus Paroeciae feracitatem soli concernit, ipsa certe, spectata climatis indole, praestantissima est. Cerasa insignis qualitatis, pira, poma multiformis excellentissimi saporis, nuces, pruna demum, dieta gallica, et denique uvae, magnae incolarum sunt utilitati, atque delectationi, sylvis quoque magnis, haec unica adhuc est de nostris Parochiis quae abundet.

Pascuis quoque insignibus, item cerealibus universim Parochia haec bene provisa est.

Quod vero Religionem concernit, in nulla nostrae Missionis Parochia tam frequentes sunt pagi, prout in ista, in quibus nullus habitet Catholicus; sed omnes turcae, qui etiam schismaticos in istis locis numero superant. Interim hoc fortunae adscribendum est: quod inahumedani dictae terrae, religionario eorum phanatismo minime laborent, cumque nostris Catholicis concorditer viventes, etiam Sacerdotem Missionarium magna in veneratione habent: idipsum ibidem de schismaticis affirmare gratulamur. Hoc utrumque singula-

ritatis vel ex eo repetendum videtur; quod non spontanee, sed coacte anticatholica religio inter illos montanos intrusa fuerit.

Confinia hujus Parochiae, signanter ab ortu ad occasum, praeamplissima sunt; Nevesinje enim, et Parochia de Dubrave ejus conterminus est; a meridie Parochia de Mostar, Gradae, Rakitno; ab occasu Podhum; ab aquilone Kreševo et Sarajevo. Sunt porro intra confinia hujus Parochiae multae antiquae arces; sepulchra quoque nobilium etiam multa, nec non quedam ecclesiarum rudera.

Sic: Glogošnica in *Kaurskogrebje* multa habemus sepulchralia monumenta; et ex adverso ultra profluentem *Biela* arcis in colle rudera eminent. In *Zavne*, turcico pago, arx fuerat; in *Lug*, etiam turcarum villa, tum arx, tumque nobilium monumenta exstant. *Pokrojsko* a solis turcis habitatum, probata, excellentis ferri, metalla offert; *Dobrigošće* adjacens idem praestat; ac arcem antiquam cum magnisicis sepulchris habet.

*Ostrožac* a turcis, ac schismaticis populatus; grandia habet monumenta sepulchralia; tumque moscheam, quondam S. Eliae Prophetae consecratam. In *Ribičići*, *Zadešine*, arces fuerant; sepulchra autem magnifica nunc extant; et unius ecclesiae rudera, Čelebiići, trium arcium rudera habet; et novam schismaticorum ecclesiam: cuius supra majorem portam est statua ex pulchro lapide, sanctum indeterminatum repraesentans; qui dum latino stylo exaratus esset, schismatici (alioquin etiam imperiti) inepto instrumento orientalem statuae formam tribuendi praesumentes, ipsam haud parum deturparunt. Statua porro dicta, tempore P. Michaelis Kobača in Donji = Čelebiići penes domum eiusdam *Haćim* Arnautović Schismatici, e terra eruta est: quam ubi primum, Kobača suadente, sacra veneratione coli cooperunt, quoad animalium infirmitates ceu prodigiosam experti sunt; hodieque experiuntur. Dolidum tamen ad pedes hujus statuae latinas aliquas extantes litteras significatum non referre . . . .

*Oraovica*, locus conflictus (1849.) inter Mostaren-  
ses turcas, et Omer = Paša milites: in duobus locis an-  
tiqua habet coemeteria nobilium. *Turia* ferri metallis  
praeabundat = *Biela*, duas quondam habebat arces.  
Proprii nominis flumine gaudet, irrigationibus, ac molen-  
dinis opportunissimo. Fert (minus probabilis) traditio =  
Rakov = Laz = in Biela Caesarem Diocletianum cau-  
las animalium ferocium habuisse: interque multa ibi-  
dem aedificiorum extantia rudera, putant incolae qua-  
dam insigniora ecclesiam suisse. Ex lapidibus seetis, qui  
quondam in Biela aedificia constituebant, vulgo putant  
pontem constructum esse. Montes, undique Biela circum  
cingentes, animalibus sylvestribus sunt abundantes: item  
ferri metallis, quin et auri in loco *Zvol.* *Borci* (pine-  
tum) pauca habet antiqua sepulchra: et turrim, (nunc  
Adžović) turcae dicunt tempore Bosnae regis extitisse.  
Hie existunt diversoria pro viatoribus, et multa strata  
carbonum fossilium. Hic loci, et in sequenti *Kula* (1850  
ad initium) Mostarenses turcae dum contra Omer =  
Paša armis dimicare vellent, superati cadunt. *Cikovo*  
a kula in Orientem; exiguus pagus, pauca antiqua se-  
pulchra habet: et ultro penes Neretva *Baktiansko* po-  
lje occurrit, cum ruderibus = ecclesiasticis = nominatis.  
*Glavatičevo*: locus famosus propter copiosam pisca-  
tionem piscium *glavatice* ditorum: et etiam propter  
pulchrum antiquum in Neretva pontem; tum propter  
moscheam. *Ladjanica* pagus ad flumen Krupac ac *La-  
djanicā*; in aliquo ulteriori in ortum progressu, secus  
Neretva, in *Gorička glavica* ecclesiae rudera, tumque  
magnifica sepulchra numerantur. Ultro quoque ad medium  
horam alterum antiquum celebre occurret coemeterium,  
in loco dicto = *Episcopalia* = quo in loco quidam  
eminens scopulus, vulgo = *Episcopus* = vocatur, Bis-  
kup. Tradunt autem mahomedani incolae, locum non  
invanum = Biskup = vocari; quin Episcopus ibidem  
et cōm̄morationem, et Seminarium habuerit. *Dužani*  
unius ecclesiae rudera, ac nobilium aliquot sepulchra  
habet.

*Ribari* etiam hodie memoriam retinet Nobilis familiae *Kominović*, arcisque ibidem existentia rudera, komin vocant.

*Kašić*, ubi quondam argenti metalla depurgabantur, habet arcis rudera = *Šibenik* = hoc est ab hominibus de *Šibenik* in Dalmatia, qui ibidem circa metalla laborabant. Hic prope est *Ceppa*, locus multarum horarum deserti, ac fertilis pascuationis. Multis abundat antris, ac specubus, saepissime ab apibus populatis. In *Ceppa* putant, a flumine *Podvela* usque torrentem *Zvezde*, auri metallum, cum albicante terra reperiri.

*Proploč*, hic locum habet, hoc est, aquae vis stupendus effectus; quo magnum collem per medium scindens, sibimet liberi fluxus aperuit viam.

Ab antro *Kornjača* *Šmiljane* versus, in elevato scopulo arcis *Galat*, rudera supersunt.

*Kornjača* est civilis meta Hercegovinensis ac Bosnensis Vesiriatus. In *Dobačani* Familia *Helež*, non multis retro annis, Muhaniedanismum amplexata est, quae fuderat postrema sequax deliriorum *Bogomili*. = Nunc vero sequuntur pagi Bosnensis actualis civilis potestatis, Vicariatus autem Apostolici Hercegovinensis.

*Šmiljani* habet in tribus locis arcium rudera; se pulchra autem magnatum in pluribus locis; sed in duobus signanter magnifica. *Šmiljani* etiam sine ferri metallis non sunt.

*Ovčari* recens pagus a catholicis populatus; antiqui nihil offert: nisi rudera arcis *Trešnjevac*. *Vrbljani*, *Tešanj*, atque *Konjine* arcis possidebant: postrema haec adhuc multa moenia conservans, in elevatissimo scopuli eacumine, sub monte *Prešljica*, admirationem provocat. Extant quoque in hoc pago multa magnifica se pulchra.

*Omolje*: fuerunt in hoc pago ecclesiam suisse (cujus extant rudera) aedificatam, a quadam pia puella orphana Catharina; cuius facti descriptio lapidaria, supra portam majorem non multo priden interiit. Locus ubi fuerat ecclesia est *Breber* hodie dictus; et putant

incolae id provenisse a turcico = *bre! hei* = significante, quo saepius utebantur, dum ibidem quemdam Episcopum, et socios, martyrio affecissent. *Repovci* ab antiqua Christiana familia nobili *Repovac*; turcicam amplexata sectam, nunc eve domina loci est, sub nomine *Bezi Repovici*. Aliquot nobilium sepulchra etiam hic extant. *Donjeselo* aliquot magnifica numerat sepulchra. Ab hoc pago ad sequentem iter faciens, ubi ex adverso *Oraovićopolje* veneris, ex utraque parte ad Neretva invenies copiosos salsissimae aquae fontes.

*Pokoiste* (requietio) quod hic Praenobilis Familia *Ostović* aestivas caperet distractiones. Habet in suo circuitu duos exiguos lacus, hirudinibus abundantes.

Magnatum sepulchra neque hic desunt. *Dbar* (hercegovienensis districtus civilis) duas habebat arces, atque ecclesiam, cuius locus hodie quoque *ecclesia* dicitur. In monte *Tisovica* (aestivis temporibus, ob pascua, nunc habitari consueto) nostris temporibus ecclesiastica campana inventa est, librarum quadraginta circiter; dicuntque ibidem ecclesiam fuisse; a qua neque multum distant quaedam nobilia sepulchra.

E regione adversa *kosor* atque *konjic* secus flumen *Tešanica*, est locus hodie compellatus *Zlatar* (aurifex:) fert traditio ibidem copiosas latitare auri fodinas. *Zaslavlje* atque *Turia* non habentes nisi pauca antiqua sepulchra, arcem autem nullam, sed neque alicujus ecclesiae memoriam; nihil dubitarem istos pagos serius impopulatos.

Locus vinearum dictorum pagorum vulgo = *Vitan* = audit: fors a voce latina — *vitis* —.

Positio denique pagorum hujus Parochiae, relate ad oppidum *Konjic*, principaliores pagi *Šiljani*, ac *Župa*, cum suis complexivis ab ortu se habent; *Bielka*, *Borci*, *Turia*, *Zaslavlje* a meredie: reliqui autem ad occidentem. A *Borci* ad unam exiguum horam, meridiem versus, secus regiam viam est *Lacus*, sine addito; estque et si non magnus, de majoribus tamen in Hercegovina; semperque mediocri profluent subnunistrat aquas.

## S T A T U S A N I M A R U M

## P A R O C H I A E K O N J I C

V. P. MICHAEL Rozić Parochus

•••••••••

F I L I A L E S	L O C I	Domus	Animae	Distan.
Konjic Op. Mat.	7	35	b.	
Zaslivlje	27	459	4	
Oraovica	48	424	4	
Čelebiići	5	29	4 4 2	
Dbar	4	44	2 4 2	
Radešine	44	99	3	
Glogostica	5	34	6	
Zabrdje	20	446	3	
Turia	24	245	4	
Biela	22	444	4	
Župa	6	42	8	
Pakoište	3	49	2 4 2	
Donje selo	5	36	4	
Omolje	43	89	4 4 2	
Ovčari	8	65	4	
Repovci	8	59	2	
Špljani	44	69	2	
Dubravice	4	22	4 4 2	
48	204	4494	44 4 2	

Longitudo hujus Parochiae est horarum 46: scilicet usque ad illa loca in quibus vel pauci reperiuntur Catholici; sed usque ad topographica Parochiae confinia, juxta circuli Konjic, ac Nevesinje divisionem, longitudo etiam 20. horas superabit: latitudo autem est ad 8. horas.

Coemeteria vero Catholica septa, habentiaque eapellas, non nisi 2. sunt: 40. autem sine distinctis seipibus.

Quod vero animas Catholicas etiam in Konjic spectat, ipsas ob servitia plures esse quam positae sunt, certum est.

Turcarum ac Schismaticorum Familiarum, in konjiciensi Parochia existentium.

### T A B U L A

L O C I	FAMILIAE	
	Tur.	Schis.
Konjic	480	
Oraovica	40	
Čelebiči	48	
Dbar	45	
Radešine	3	
Glogostnica	45	
Turia	2	
Biela	7	
Župa	440	
Ovčari	—	
Repovei	—	
Špiljani	—	
Dubravice	—	
Vrh	7	
Lug	20	
Čare	44	
Poprasko	6	6
Ravno	8	
Krstac	6	
Dobrigošće	9	42
Ostrožac	44	7
Ribići	8	
Biolimići	300	
	476	94

## IX.

## PAROCHIA RAKITNO

S. Joannis Nepomuceni.

Capellania haec usque ad annum 1846. Parochiae Seonica partem agebat; cumque tunc fuerit separata, ab illo anno etiam protocolla habet. Prior domus in Vrpolje erat; actualis autem domuncula est in *Poklečani*, Comunitatis de Širokibrig impensis, atque populi subventione facta, anno 1855.

Conterminat autem, ab ortu cum Gradac; a meridie cum Širokibrig atque Pašušje; ab occasu cum Seonica; ab aquilone cum Triestani in Rama; item cum Konjic.

Planum Rakitno, vero sensu est planum, leviter ad ortum inclinatum; est longum duas horas, unam vero latum. A parte boreali altum habet collem Štitar; ab oriente vero ac meridie, tumque ab occasu minoribus circumdatur collibus. Aequor campi hujus tum fertilitate, tumque amoenitate se commendat. Unicum de minoribus habet flumen *Rakitnica*, qui quidem molendinis atque irrigationibus deservit: pisces quoque nunc porrigens, quos non multo pridem P. Paulus Milicević, in profluentem intulit. *Rakitno*, et *Rakitnica*, (locus sileribus consitus) fors a nimia copia sileris (Rakita) nomen traxit. Rakitno foeno optimo, cerealibusque, tum pecudum copia pluribus in Hercegovina antecellit locis; item in apibus.

Nostra ineunte aetate quidam nequam Rakitno incolae, innocentem turbam Zingarorum, (ut illi putabant; ast *Cincuri*, ignotae religionis, ex vero erant) in sylvas abductam dire maeterunt: a quo tempore, multis successivis annis, Rakitno tempestatibus, atque grandinibus flagellabatur, quousque habitatores aliquem sacrificiorum numerum pro *Defunctis* offerri non curavissent.

Inter reliquias antiquitatis Rakitno numerat duarum ecclesiarum ruderā, *Desnjovača* in *Sutina*; ignoti

Saneti; atque in Vrpolje S. Marci Evangelistae: Arcem quoque in Sutina habebat; sed alteram in Vrpolje valde insignem fuisse, rudera produnt; tumque tertiam Tribistovo versus. Nobilium etiam sepulchra, cum variis eorum stemmatibus reperiuntur copiosa: Sutina — Korita — Desnjovača — Poklečani — et in Vrpolje, duobus in locis. Rakitno rigidiori climati montano subbesse, alias monui: quod etiam de proxime recensendis Parochiis aequre intelligas.

## A N I M A R U M S T A T U S

### P A R O C H I A E R A K I T N O .

V. P. RAPHAEL RADOŠ Parochus.



FILIALES	P A G I	Domus	Anim.	Distan.
	Poklečani	38	468	hor.
	Sutina	64	462	412
	Vrhopolje	53	373	4
	Dreznica	20	163	5
	4	172	1466	6 412

Longitudo hujus Parochiae a Dreznica in Sutina horar: 7. latitudo a Vrhopolje in fundum Sutina est hor. 3.

Parochia haec in sola Držnica 78. turcicas habet conviventes familias; catholicis minus infestas. In Držnica existunt adhuc muri ecclesiae B. M. Virginis. Ibidem Commitis Petrilj palatii rudera extant, tumque arcis de ejus cognomine, dictam hodie quoque = Grad Petrilj = Drežnica in immanni profunditate jacet, undique praealtis montibus vallata; arcto excepto inter mon-

tes alveo currit. Planitiem inter montes, ac flumen exiguum habet; interim summe feracem, omni agricola productione etiamque uvis, ac sicubus.

Solum licet exiguum, superat tamen fertilitate, atque respective ad locum, multae genti porrigit sustentationem.

Descensus in Drežnica undecumque non solum salebrosus, sed revera etiam periculosus: ad duas enim integras horas descensus, plus tibi repere, quam incedere conveniet: sed tempore hiemali, ob nives in montibus, nulli descensus patet.

Montes eorumque antra circa Drežnica, sylvestribus animalibus, etiam ferocibus abundant; utilitate, ac damno habitantium mixtis.

Habitatores Drežnica multis annis, naturali arce montium defensi, mahumedanorum invasioni, atque sectae sese diu opposuerunt; cumque tandem cadere debuissent, turcicamque religionem amplecti, quisque talibus conditionibus fecit, ut suarum substantiarum domini manentes, etiam contributionibus, qua heroes eximerentur; in casu vero necessitatis, gratis militaria sumere deberent arma. Huic conditioni accessit, ut Drežnjaei in suis montibus rare caperent pulchritudinis avem *Falconem*, quem cum Imperatori Sultano dono misissent, Drežnjaei nova gratia redonati sunt, nihil in perpetuum contributionibus publicis conferrendi. Favor iste ad gubernium usque Ali Paša Rizvanbegović sartus, incolumisque conservatus, eo Vesirio interiit; atque sic illorum quoque conditio aliorum in Hercegovina coaequata est. In loco, uti diximus, et si faecundissimo, difficillimi tamen accessus, nihil mirum est antiquorum nobilium nulla aestimatio digna sepulchra esse.



## X.

## PAROCHIA SEONICA

IN DUVNO: SSMAE: ASSUMPTIONIS.



Seonicae nunc subsistens parochialis dominus, dum in Bukovica esset, multis ac continuis turcarum vexationibus, ac exactionibus vexata, anno 1806 in Seonica a P. Michaele Čuić translata fuit; atque ibidem in turcico fundo etiam nunc permanet; habita reaedificatione post infortunatum incendium anni 1825.

Domus actualis supra vinocellarium unico constat tabulato, oflerente utrimque octo cellas, atque Oratorium internum, cum adnexa culina, sub eodem tecto stramineo. Domus quidem identidem periculo incendii exposta est; sed ejus interna divisio apprime bene disposita; in qua Defunct. Barišić Episcopus, quinque prioribus a divisione annis commoratus est. Verum in Duvno non modo Parochiam, sed etiam Episcopatum perantiquum esse certo accepimus; ast ubinam Parochia ante Bukovica suam haberet Residentiam, non est qui porrigamus.

Interim antequam particularia hujus enodemus Parochiae, quaepiam vel leviter tum de *Duvno* generalim, tumqne de singularibus ejus locis praelibanda veniunt. Igitur nunc in regione Duvno versamur; quod sub tali denominatione accurate tres hodie comprehen dit Paraecias = Seonica = Županjac = atque Šuica =

Hodiernum Duvno, sic in complexu acceptum, ab antiquissimis temporibus gloriosum, omnique sub respectu praepotens fuisse, documenta historica neminem versatum dubitare sinunt. *Delmini*, *Dalminii*, *Dalmae*, *Dalmi*, et consimilibus nominibus appellatae antiquissimae Civitatis; postea vero *Duvni*, et *Duvno*, tantam fuisse excellentiam, ut totius Dalmatiae caput prae nobile, ei-

dem quoque aeternum relinquere nomen; hoc non parum gloriae est. Verum nihil perfecte gloriosum, nisi etiam aeternum; sic neque praenobilis Domina Duvno Civitas, quae licet diutissime heroice dimicans, gloriosa victiarum intexeret sarta, Romanisque timendum suum reddidisset nomen; adfuit tamen tempus, in quo Fortitudinis civitas, non tam aliena vi superata prosterneretur, quam suis onusta victoriis caderet, cadensque ita confringeretur, vix dignoscibilem relinquens locum, ubi quondam Duvno fuit. Scipioni Nasica haec gloria, gloria si est, servata fuit, ut de magna ac *Celebri* (Duvno) exiguum faceret urbem. Verum tamen antique, tam collossalis civitatis, esto ferro ac igni in rudus redactae, rudera ipsa minus copiosa ibidem esse, hoc mirum haud parum est. Etenim praeter multa hinc inde Fortalitia, (de quibus singillatim inferius) nihil ferme habes, ubi magnae civitatis locum indigites.

Cum igitur *magnam* fuisse urbem certo credamus; rudera autem exigua prostent; quid superest nisi ut concludamus: magni Delminii domus ut plurimum de lignis fuisse, etiam quo ad partes murum constituentes; atque sic post ignem aut nihil, aut parum supersuisse. Hac in suppositione duobus confirmamur, primo: quod in capite planicie Duvno, ubi Delmum censemur fuisse, carbones terraque exusta passim apparet: secundo: quod etiam hodie (fors antiquo insistentes usui) duvnenses, eorumque vicini, etiam ubi minus necessitas urgere videtur, ex trabibus domorum muros componere amant: alias enim si de lapideis in Duvno propugnaculis sat abundantia, etiam a strage manserunt rudera, de civitate ex lapidibus etiam mansissent.

Itaque totus antique civitatis Duvno splendor hodie non nisi in cineribus est.

De reliquo, hujus Districtus praestantias singulares, apud Illustrem Farlati legere poteris.

Denominationi vigenti *Duvno* variae tribuuntur etymologicae deductiones.

1. Duvno; *o* mutatum in *u*, debuisseque fieri  
= Dovno = hoc est, *locus pietati deditus*.

2. Duhovno = *audaces, magnanimos* procreans.

3. Duvno a verbo usitato = dùnut = id est vehementer, et cum impetu flare: atque ideo *Duvno* significaret locum ubi impetuose dominantur venti.

Duas primas significaciones duvnensibus alienas esse minime adjudico; ast istam tertiam Duvno plenisime convenire res facti est. In Duvno enim sylvis penitus destituto, tum in plano, tumque in circumviciinis montibus ac collibus, tantus ventus fieri consuevit, ut in tota Hercegovina in proverbium trasierit, ubi vehementiorem ventum flare contingat: « Kako je dù « nulo, kò na Duvnu! » *Quam impetuose flat, ut in Duvno!* Hinc fit in Duvno, ut ventus non modo nives impellens, iter saepissime reddat periculosum, et subinde impossibile; sed etiam ipsam terram radens, arenamque conglomerans, et in altas assurgere columnas cogens, magna daøna, maximamque molestiam causet. Qua propter aliud nationis proverbium = Duvno Zlatno guvno = *Duvno aurea area*: minus sane hodie dum habet locum: sique duvnenses vellent antiqui proverbii veritate potiri, sane illos aporteret strenue inseminationibus, ac implantationibus arborum operam navare: alias = Duvno golo guvno = *Duvno area nuda*; propter ventum, auctum frigus, imminutasque serotinas pluvias. Magis itaque conduceret ejus futurum erigere statum, quam ejusdem exactas in pulveribus quaeritare glorias: sed jam aliquid de isto districtu recensemus.

Planitem Duvno, sat rigido climati subjectam, intra ortum ac medium noctem, item intra occasum, atque medium noctem, suam obtinere longitudinem, quatuor horarum, res facti est: latitudinem autem maximam hujus plani semialtera hora constituit.

Pars occidentalis ad orientalem leviter inclinata, ipsa est fundus actualis oppidi Županjae, censemurque

etiam antiquitus caput fuisse totius regionis; estque ista pars et amoenior, et faecundior quam illa orientalis. Planities descripta undique circumobsternitur colliculorum corona, majoribus vero ab aquilone, inter quos maximus est Lib.

Totam istam planitatem aliquando irrigabilem fuisse, habitantium mens est; quam maxime confirmari putant nonnullis ferreis circulis, in collum scopolis confixis; ad quos naves adligari expediebat. Tale opinamentum traditionale etiam confirmari videtur, quod reapse sine irrigatione plani, ab antiquis Duvno feracitas singularis minime decantari potuisset. Infirmitur autem opinio ex eo, quod Duvno actu nullum habeat tale flumen, cuius aquae, irrigationibus sufficerent. Facili hujus objectionem duvnenses alia declinant traditione: insigniores scilicet fontes ab hostibus paeclusos fuisse; signanter coriis boum: quae an plus fabulosi quam veri spirent, ipsi viderint. Alii autem et fors verius ferunt, post quemdam horrendum terrae motum, flumen in Capite Duvno ad semel penitus desiisse. Interim Duvno, et si montana regio, planitatem suam tam vastam, multiformibusque colliculis consitam, valde amoenam oculo offert; superatque abs dubio, etiam hodieroa amoenitate, feracitatem.

Productiones principales in Duvno sunt cerealia, foenum excellens, multorumque armentorum usus. Circa agrorum hortorumque excultationes, sunt minus solliciti: non enim solent magni ducere, quam bene terram sementi praeparaverint, sed quam multum semantis in inexcultam terram deposuerint: atque utinam etiam aliorum compatriotarum nostrorum plurium consimilis vacua non esset jactantia!!! Ciclamen tuberosum, et granum turicum (kukuruz) in Duvno per religiosos, atque gubernium, vix nostris istis temporibus introduci potuerunt.

Sed nunc primam ab Oriente in Duvno Parochiam Seonica prosequamur. Ipsa ab oriente contermi-

nat cum Rakitno: a meridie cum Raškopolje: ab occasu cum Županjac; et ab aquilone cum Rama. Pagus *Crvenice* a Seonica ad ortum manet.

Kovači, Omerovići, Cebora, Brisnik, Tomici, Mrkodò, Bukovica, Bučići; ad meridiem: Omolje, Kongora, Borčani, Lippa, Mandino selo, partem siimiliter occidentalem, atque nordicam occupant.

*Seonica* Fontem *Alibegovac* insignem habet; turcicarumque duarum rudera moschearum.

*Crvenice*, flumen parvum *Miljacka* habens, item ignotae ecclesiae rudera; etiam ab una de majoribus protegebatur arcibus -- Skenderia. -- Intra colles *Jaram* atque *Ostrc*, est via antiqua, in duro incisa silice, ad quingentos passus; ubi excellentem perennem fontem invenire est.

Ad fortalitii situm magna extat antiqua cisterna; in qua aliquot retro annis, pastor quidam, ceu soleam mediocrem, argenteam adinvenit monetam, in Imoschi venditam.

Circa fortalitium innumera sparsa sunt sepulchra plebis; hoc est militum ibidem occisorum a Romanis; uti et traditio audit. Nobilia quoque multave sepulchra in Crvenice existunt.

*Bučići* rudera ecclesiae S. Eliae habet; ad quam tantum videtur pertinuisse terreni quantum hodie quatuor numerosis colonorum familiis sufficere potest; totum enim hoc terrenum -- Crkvine -- vocatur: et sepulchra nobilium neque hic desunt.

*Bukovica* locus nunc parvi fontis *Bagarića*; antiquitus autem quod hinc proflueret fluvius Duvno irrigans; quodque paeclusus in Četina suas deposuerit aquas, localibus habitatoribus referre lubet.

*Ančići* pagus ab antiquissima familia Ančić, a quibus etiamnum pagus inhabitatur, terris sibi per turcas direplis. Ecclesiam habebant -- Ognjene Marie; scilicet, S. Mariae Magdalena: quae carnali, tumque

spirituali nimio exarsit igne. Fuisse autem ecclesiam S. Magdalena hinc colligo. Nos in officii Directorio habemus haec duo consecutiva Festa (quondam de praecepto utrumque) S. Eliae et Mariae Magdalena.

Hoc posito, en quomodo a nostratibus etiam ipse interrogatus fui: « Sveti Ilia, i Ognjena Maria: od o- « vih svetacah, Olče! Koji je žešći? » *Sanctus Elias, et ignea Maria, de istis, Pater! sanctis quis magis ignitus?*

*Mrkodô* duas in suo districtu habebat ecclesias; S. Praxedis unam; (dictam vulgo; *Sveta Oprtia* alteram Apostoli Petri.

Huic multum addixerant terreni; totum illud scilicet, quod in *Brišnik* ac *Cebora* hodie tres turcae Beg possident: scilicet Capetan de Ljubuški, Teskere-djić, atque Adjialibeg a Travnik: a quibus etiam illa terrena *Crkvine* inscribuntur; hoc est — ecclesiastica. Iste locus possidebat sat amplam arcem. In *Ančići*, (cujus immediate mentionem fecimus) est quodam stundendum antrum, a natura ad quamdam templi similitudinem formatum; in quo diebus festis multa populi catholici centenaria sacro adesse solent.

In remotioribus angulis hujus specus adsunt gurgites, aut parvi lacus, perennem optimae qualitatis porrigentes aquam. Est prope quaedam magna crypta, cui incidentem lapidem quidam dejicientes, ac sepulchrum aperientes, in eo reperierunt duos falcatos gladios; duos ex auro anulos, duoque honoris insignia ad formam stellae conflata. Sunt denique etiam duarum arcium rudera in Ančići.

*Cebara* in duobus locis arcis rudera; in tribus autem praemagnifica nobilium sepulchra habet. Sub hoc pago sunt quidam fonticuli; qui tribus diebus antecedentibus *Anuntiationis* Festum, tribusque subsequentibus, macri piscis tantam multitudinem emittere constanter consueverunt, ut coribus velut hauriri possint, et reapse hauriuntur.

*Omerovići*, multis antiquorum aedificiorum rudibus, plurimisque nobilium sepulchris consitus cernitur. Supra hunc pagum pendebat ex rupe magnus ferri circulus, quem quidam Jurčević extractum, in somorem convertit. Eadem pago insidet stupendum antrum, famosum non solum penes nostrates, sede etiam apud Bosnenses: et tureae, saepissime invisiendi specum causa adventitare solent, nec non etiam superstitionis mahomedanae exsolvendi vota. Causa autem stuporis non a magnitudine antri, sed ab omnis generis vestigiis tum hominum, tumque animalium, in subjecta arena efformatis procedit. Nocturno tempore conventus iste incedentium, ac replantium convenire solet; eujus omni die si deleveris vestigia, omni altero mane idem tidem repetita invenies. Imo aliqui tentarunt rem, illatis intus, perque totum pavimentum constratis paleis concisis, ut nempe viderent quid futurum esset. Altera autem die abeantes, antrum invenerunt usque ad ultimam micam mundatum, vestigiis consuetis arenae impressis extantibus; paleis autem ad aliquam ab ingressu distantiam, in unum cumulum conjectis. De isto facto communis in Duvno notitiae, quis quid veri profari sciret? Huiles christiani nimphas; tureae autem amieos spiritus ibidem habitare putant.

*Kovači* pagus supra magnam aquarum voraginem (ponor) situatus. Vorago et si magno hiatu donata, non tamen semper confluentes ex Duvno aquas absorbere potest, ut eas in *Buško blato* exmittat: tumque temporis in ipsa voragine horribilia audire est velut tonitrua, totumque collem magno tremore concussum, veluti eversionem minari. *Kovači* unius maximaee arcis rudera conspicit; sepulchra item cum plurimis stemmatibus, ac imaginibus copiosa numerat. *Privala* (collis, et via communis in Buškoblato) duas quondam habebat solidas arcēs: sepulchra quoque insignia ibidem multa sunt: in quorum uno praetendunt, *Janković Stanislai* viscera condita esse, post quam in Duvno a Turcis occisus occubuisset. Ve-

rum senior opinio aliorum censenda est, qui a Žapanjae *Kolo* versus, in uno sepulchrorum, *Jankovié* vocato, *Jankovié* quoque tumulatum fuisse tenent.

*Žbanica* fons insanac ac periculosa aquae; a qua *Stipaniéi* versus, rudera extant eujusdam permagni aedificii: et tum hic, tumve ad fontem, nobilium sepulchra plurima sunt.

*Mandino selo*, (a quadam principe famosa Magdalena plura videtur habuisse fortalitia; et antiquae regiae Delminii) viae residua adhuc cernuntur.

*Lippa* (tilia) duobus famosissimis fontibus gaudet; estque fere undique locus antiquis arcium ruderibus cinctus; sepulchris autem magnatum veluti consitus. Ecclesiam queque hic fuisse certo tradunt; ast titularis nulla est recordatio.

*Kongora*, ad egregium fontem *klisac* ignotae ecclesiae rudera habet, quod *kod Jele* vocant: hoc est ad *abietem*: hodi existentem. Supra hunc pagum, majus omnibus fortalitiis de Duvno, unum fuit in *Lib* promontorio. Hie plerum reperiuntur antiquitatis multigeniae res. Fortalitia quae totum hoc *promontorium* occupabant, igni exusta fuisse, locus ipse testatur. Penes majorem inibi areem, est quaedam plana *area*; in qua nunquam nives, aut gelu subsistere possunt.

*Borčani*, offert partem fundamentorum civitatis, lateres ac tegulas in copia, terrac exustae mixtos. Tribus retro annis, supra hunc pagum, unum nobile cubicle infra rudera, tumque fornicem detegere licuit.

Sepulchris magnatum non caret *Borčani*.

*Omolje* cui tres antiquae insident arces; sepulchra autem nobilia plura numerare licet. Locum quoque ecclesiae ignoti titularis habet; dictum *Crkvine*.



STATUS ANIMARUM  
PAROCHIAE SEONICA.

•••••

R. P. Philippus Ančić ex Discretus Custodiae, Parochus.  
V. P. Bonaventura Kvesić, Socius Parochi.

F I L I A L E S	P A G I	Domus	Animae	Dist. hor.
	Seonica Res.	24	494	0
	Crvenice	27	238	4 1 2
	Omolje	24	243	4 1 4
	Borčane.	29	238	4 1 3
	Kongora	30	72	2
	Lippa	44	420	2
	Mandinoselo	45	86	2
	Kovači	9	34	2
	Omerovići	5	34	2
	Cebora	4	35	2
	Brišnik	46	294	2
	Tomići	47	454	4 2 1 4
	Mrkodoh	47	300	4 4 1 4
	Bukovica	39	374	4 1 2
	Bučići	43	296	4 1 3
	45	370	2990	22

Longitudo hujus Parochiae a Lippa in Crvenice est duarum horarum cum dimidio: latitudo autem ab Omolje in Brišnik horae unius. Habet porro Parochia, cum Capellis 40. catholica coemeteria; 7. autem sine sacellis. Turearum domus intra fines Parochiae sunt 20 Schismaticorum 24.



## XI.

PAROCHIA ŽUPANJAC  
S. MICHAELIS ARCANGELI



Separata a sua Matrice Seonica Anno 1829: sub nomine Capellaniae Localis *Mokronoje*; quae talis etiam perstitit usque ad annum 1861. Quo tempore faventibus occasionibus, Religiosa Communitas de Širokibrig in Oppido Županjac pro transferenda parochiali domo fundum acquisivit, florenis 400. Anno itaque 1861 egregius P. Franciseus Primorac, sua singulari dexteritate, accedente populi concursu, in Županjac novam Parochi domum, (morte praepeditus), ferme terminatam, sacerdotibus, ac populo reliquit. Est parro domus ista tum solida, tumque pro schola et pro quatuor sacerdotibus honestis cubilibus provisa.

Verum antequam Primorac primum fundamentalem domui supponeret lapidem, ipsum ecclesiae adjacenti jam supposuerat P. Philippus Čorić: quae demum perfecta fuit solertia Patris Petri Knežević et populi pio juvamine, non ordinario: anni 1865. Cum igitur populus ecclesiam longam brachia 30. latam 15. jam perfectam videret, etiam campanam, vel unam ipsi addicere gestiebant; quam proprio aere etiam emerunt. Cum vero Illus. D. Vicarius Apostolicus 1866 sacra in Duvno Visitatione fungeretur, praecepsitam quoque Campanam solemniter consecravit. Atque sic ista campana, et si non est prima de illatis in Hercegovinam, post quatuor captivitatis saecula, de consecratis tamen prima est. Parvum actuale oppidum Županjac antiquae Delminii Civitatis locum occupare, et si signa minus certa occurrant, ego sane inficias non ibo: ast ipsum oppidum esse illam *parvum urbem*, a Scipione Nassica factam, post magnae eversionem urbis, nullatenus assentiri possum. Etenim praeter quod apud Farlati, ex

relatione ultimi Duynensis Episcopi legam; hunc vel ideo sua potitum sede non fuisse, quod in Duyno veniens neque domos, neque gentem invenisset: est etiam cuique perspectum, actuales oppidanis domunculas recentioris aetatis opus esse.

Quod vero nomen Županjae attinet, a sede *magni Župan*, a quibusdam deductum, tali opinioni non contradicam; utpote non improbabili tempore Illyrieae dominationis. Qui etiam a nobili Familia Županovié Županjae deductum vellet, mea pace id faciat.

Županjae oppidum in amoena parte plani jacet, intra boream et zephyrum, media hora suam extendens longitudinem; quadrantem autem horae latitudinem. Turcas, Zingaros, Schismaticos, et Catholicos habitatores Županjae habet. Usque mox clapsum annum in Županjae *Mudir* atque *Kadi* residebant. Turcae ibidem habent moscheas duas, sacerdos quoque graeco-schismaticus suam ecclesiam, cum residentia, et schola pro utroque sexu. A Županjae ad septentrionem sunt ruderatae magnae arcis; locusque cum fonte, ubi ecclesiam S. Joannis fuisse, tradunt, traditionemque etiam tureae confirmant, qui omni anno recurrente Festo S. Joannis Baptiste, nondum orto sole, eum pro medicinalibus ablutionibus ad fontem convolant. Item intra zephyrum et boream alia etiam magna rudera jacent, S. Marci sub nomine: ubi quotannis camporum benedictio fieri consuevit die S. Marco dicata.

Istis a ruderibus ad austrum semi alterae horae tractu, agger, aut moeniorum fundamenta continuatione sternuntur; et id ipsum ex altera ad austrum parte, ad semi horam observare est, usque ad collis summitatem, superantem *Ostrožac*; ubi et antiquae viae residua cernuntur; multaeque antiquitatis res reperiuntur. Ad eorum infra oppidum est antiquum magnatum coemeterium, dictum *Latinum*: hocve specialitatis habere videtur; quod non *graecum*, uti communiter similia sepulchra, sed *latinum* dicatur.

Županjae favet: Šnica in *Stržaj* effuens, et *Ostrožac* a borea supra Županiae fontem habens, ex ibidem ferme obturato lacu a Regina Tauta; quae sic dicitur duynense planum ab inundationibus liberavisse. Ad ostium Ostrožae fontis est magnum saxum quadratum; quo dimoto aestivis temporibus, major aquae copia scaturire solet: timent autem incolae penitus revolvore lapidem, ne nimia aquarum copia planum occupare possit. Est demum traditio aquas Ostrožae per ductus toti antiquae civitati necessitatibus occuruisse. Verum praeter dictas aquas, Župunjae fruitur etiam aquis *Blažuj*, multisque aliis localibus fonticulis, optimae qualitatis. Est demum Župunjae sat vigorosae mererationis locus.

*Makronoge*, ad profluentem Šnica, insignem quoque fontem *Vučac* habens. Sed quondam castella defensioni loci erant; Livno versus tria, ad Šnicam autem alia tria. Hic penes Šnica in rupibus ferrei circuli confixi cernuntur: qui ad ligandis navibus alioquin deserviebant.

*Eminocelo* fontem insignem = aquam puellae, Divojčka voda, possidet; tumque magnificam turrim, nondum dejectam, *Jankora* kula dictam: est vel ideo probabile istam turrim Stanislai Janković fuisse.

*Emin* Familia Catholica vicinas pagi omnes possidebat, quum turea Hercegovinam subjugaret. Verum pater familias veritus, ne sibi, juxta tureicum morem diriperentur bona, *Kadi* quodam usus est, ut a Sultanu Firmano obtento, *Emin* possessiones incolumes manerent sibi.

*Kadi*, ex tensione capillorum patrinus, spondet Emin amico patrino, dum Constantinopoli rediret, optatum adlaturum Ferman; prout etiam attulit: sed quale? immediate ab ejus perfectione Emin suspedio enecandi; bona vero ejus omnia ad fiscum transferendi: quod et excentus est, Emin rebellionis insimulato nota. Sie perit, qui tureae credit!

In Eminovo selo, multis cum incisionibus, multa existunt nobilium sepulchra, locusque ab ecclesia dictus *Crkvine*. Hinc ad boreum est mons *Buhovača*, a pagensibus de *Buhovo*; quibus quondam Sultanus sirmiani vigore dictum montem in perpetuum praemii gratia dederat.

Verum cum ab immemorabili, *Buhovčani* pro proprii gregis aestivis pascuis dicto potirentur monte; serius contigit, ut ipsis eriperetur, contributionibus passuacionis adnexis.

*Blazuj* pagus, tumque superius recordatum flumen inde scaturiens: duo habebat fortalitia; et magnatum sepulchra multa habet.

*Vukovine*, catholicum coemeterium: item antiqua plurima sepulchra; in quibus multi armati equites comparent; cervi, capreae, scuta, nimphae; et similia. Hie loci magna ecclesia fuit honoribus Divi Hieronymi aedificata. In Šaica infra fluente, extat pulcher lapideus pons.

Supra hunc ad parvam distantiam locum in festo graeco-schismaticorum Petri, atque Assumptionis M. V. famosae nundinae fieri solent; concurrentibus multis undique millibus hominum: quae nundinae si in oppidum transfererentur, magno sane suo id fieret emolumento. *Vučkotine* denominatae sunt a praenobili familia *Nemanović*, cui natus fuerat filius *Vučko*: (lupus) ab isto autem prognati Vučkovići dieti fuerunt. Anno 1506. Vučkovići phores in Davno erant; cumque ultra turicum jugum ferre non possent, in varia sub Venetae Reipublicae loca confagerunt: tumque venetarum militarium copiarum primis adscripti ducibus, erga turcas vere fuerunt lupi Vučkovići, ultra quam in *quindecim* conflictibus illos strenue debellando.

*Lug* pagus, ecclesiae *trium regum* rudera habens; item unius magnae arcis atque per pulchra plurima nobilium, sepulchra multiformibus incisionibus imaginum, ac ornamentorum decorata.

*Kuk*, unicam quondam habebat arcem.

*Sarajlije*; plura habet nobilium singularia sepulchra, cum imaginibus, quarum nec a procul est capere sensus: arcis quoque quatuor erant aliquando hunc defendantes locum. Habet fontem hiemalem, qui pisces, bonae qualitatis, in immensa copia efferre consuevit.

*Letka*, non nisi duo nobilium habet sepulchra, sed vere magnifica nobilitatis digna. Supra pagum duorum ruderum arcium extant, cum reliquiis antiqui Delminii viae. Hunc inter pagum ac Sarajlije, est pulcher ponticulus a Catholico Marco Baćak aedificatus.

*Vedasćić*, de pulchrioribus pagis: duarum arcium praesidio quondam gaudebat; et aliquot magnatum sepulchra nobilissima habet. Hoe in pago 47. retro annis quidam pagensis anulum unum ex mundissimo auro, et pretiosis lapillis invenit, et a quodam dalmata, miseram exsolutionem trium tirarum austriacarum accepit; dalmata autem pro eodem diyendito anulo, neque bis mille florenis argenti contentus fuit.

*Oplečani*, tres magnas habebat arcis; ecclesiam quoque, et multitudinem nobilium ibidem sepulchorum.

*Serdjani*, sex magnifarum arcium ruderam habet; plurim item aedificiorum veterorum. Ferunt, quod ab hoc pago ad *Lib* usque, antiqui Dalmatii moenia essent.

*Raštani*, tam supra, quam infra magnarum arcium ruinis veluti obruitur. Ad inferiorem pagi partem putant magnum fuisse palationem Officiorum civilium, atque criminalium: quodque palatii istius continuatio usque ad Mandino selo pertingeret. Hie fuisse ecclesiam S. Nicolai, certum est. Nuper enim annorum in hujus ecclesiae ruderibus schismatici sigillum invenerunt, cum in medio Sancti Nicolai imagine, atque haec, cyrillieis litteris exarata, inscriptione: = PEČOT SVETOG NIKOLE = Schismatici hujus sigilli se legitimos haeredes aestimantes, in ecclesia Nicolai innisi aedificata, reperto illo utalur sigillo; jure alioquin non aequo. In hoc quoque pago plurim nobilium sepulchra, multiformibus incisionibus insignita reperiuntur.

Est omnium in Duvno traditio: quod irruentibus turcis nemo Christianorum in Duvno manserit; quodque eorumdem restitutio, post tres emigrationis annos, a franciscanis peracta fuerit.

In colle Vran = baba, (nigra = vetula) sunt quae-dam magna sepulchra, in quorum uno sunt plures agni, atque haedi sculpti. Istius facti extraordinarii traditionalis explicatio sequens est. = Erat quaedam ve-tula pecuaria famosissima, dives, atque superba, quae suos numerosos greges, signanter in monticulo indica-to pascebat: cumque jam in Februario sui agni, haedi-que bene succrevissent, tempestas tamen immineret nivis, et grandinis; audacter ei insultans vetula edixit = suorum agnorum, haedorumque jam dura cornua, eujuscumque tempestatis rigorem superare posse = Ve-rum horibilissimam tempestatem, tantum frigus subse-cutum est, ut non modo totus vetulae grex periret, quin et ipsa vetula glacie constricta interiit.

Opportune itaque ejus in sepulchrali lapide agni, haedique excissi sunt; atque locus proclamatus est = Vran = baba. = Residentialis domus Županjac = Sti-panjići = Jošanica = Podgaj = Kolo = a meridie, et occidente habet; reliquos autem pagos a parte aquilonari. Conterminat vero Parochia ista cum Seonica ab euro: cum Buskoblato = Grabovica ab austro: a ze-phyro cum Šuica, et a borea cum Rama.



## STATUS ANIMARUM

## PAROCHIAE ŽUPANJAC.

V. P. JOANNES BAGARIĆ Parochus.

F I L I A L E S	P	A	G	I	Domus	Animae	Dist. hor.
					St. hab.	St. hab.	
Županjac Res.					72	164	
Kolo					23	190	2 1 2
Podgaj					17	112	4
Jošanica					4	15	3 1 4
Stipanići					48	365	3 1 4
Blažuj					16	76	1 1 3
Eminovo polje					14	84	2 1 2
Mokronoge					17	82	4
Lug = kuk					8	81	4
Sarajlije					25	254	—
Sargiani					5	52	4 1 4
Oplećani					6	25	—
Vedasić					24	184	4 1 4
Letka					42	144	4
Vučipolje					2	12	4 1 2
	15				293	1939	4 2

Longitudo hujus Parochiae est horarum duarum cum dimidio; latitudo autem duarum horarum.

Decem habet catholica coemeteria, ferme omnia sine sepibus. In Oppido cohabit turcae, zingari, atque schismatici: in pagis quoque turcae et schismatici; sunt circiter in tota Parochia domus turcicæ . 420  
 Schimaticæ . . . . . 240  
 Zingaricæ . . . . . 30

## XII.

## CAPELLANIA LOCALIS ŠUICA

## SANCTI ANTONII PATAVINI



Avulsa a sua matre Županjac 1864: a quo tempore etiam protocolla possidet. Pro emptione fundi hujus domus, ex collectis alibi factis 154. floreni impensi sunt: domus vero conferrente populo, cura Patris Knežević, atque Paschalis Radoš, aedificata est; quatuor habens cellas, inter de ligno muros.

Conterminat ab oriente cum Parochia Rama, a meridie cum Županjac = cum Livno = Vidoši, ab occidente: et cum Kupres ab aquilone.

A domo Capellani ad austrum, sunt rudera insignissimae arcis = Stržaj = dictae etiam = Ungarac grad =.

Ex eo quod Divus Hieronymus, Stridonii in Confinibus Panoniae ac Dalmatiae se natum fuisse scribat; plures opinantur, Stržaj mox dictum, reapse locum natalem fuisse praeculari Ecclesiae Doctoris Hieronymi. Hujusmodi opinamento, nihil habeo solidi quod objiciam; habeo potius ut adhaeream: nomen enim antiquae civitatis Stržaj a Stridonio haud nimis dissonare videtur: confinia autem illac, per montes, Panoniam, interque Dalmatiam fuisse, Historici omnes nos docent: igitur si non certum, probabilissimum est, accurate in Stržaj Hieronymum lucis coepisse usuram.

Stržaj in Šuica, antiqua civitas, de principalioribus in Illyriō; quam, ante turcarum adventum traditio adserit, suum habuisse principem, et quadraginta milia habitantium. De ejus fortalitio, et aliis, recole superius dicta. Penes istam localem, licet splendidam de Stržaj traditionem, ego Divi Hieronymi, in Catalogo, verbis innixus, vix crederem Stržaj unquam nobili

oppido aliquid majus fuisse: etenim si quando tam magna fuisset civitas, qui vis Hieronymum istud splendoris suae originis non modo non notavisse; quin et *oppidanae* addixisse humiliationi! Quid parro ista exuberans traditio pro se adferet, si vel locum ipsum magnae ineptum civitati fuisse observaverimus?

Major itaque tum nobis, tumque Hieronymo accederet honor, si cum eodem fassi fuerimus, illum in oppido licet parvo Stržaj, magnum tamen ecclesiae Doctorem prodivisse. Ceterum Stržaj, antequam a turcis occuparetur, vel ipso Hieronymo vivente, multo pridem a Gotis demolitum fuisse, ejusdem Hieronymi testimonio indubiam adhibere fidem, sanae rationis debitum est. Et mehercle qui vagas vulgi traditiones indubiae Hieronymi narrationi anteferret, ipse se decipi studio quaereret.

*Ungarac grad*, etiam historico non caret fundamento: Hungarorum scilicet dominationis his in locis, et in *Stržaj* singularis arcis reaedificationis. De sub hujus famigeratae arcis pedibus, poetico (ut ita dicam) ex antro flumen Šuica profluit; ibidemque molen-dinis, tque machinis ad seccandos de arboribus asseres, egregie dcservit: tum etiam bonos porrigit pisces. Mons *Malovan*, a media nocte assidens, abietum, et fagorum proceribus arboribus dives est. Planities in Šuica parva est, trium, nempe, quadrantum longitudinis, duorum vero latitudinis; ast pulchritudine, et faecunditate, parvitatem extensionis egregie supplet; in frumentorum, atque excellentis foeni abundantissimis productionibus. Planities ista quasi per medium a via regia trajicitur: suntque ibidem viatorum necessitatibus *Sex* diversoria, *Han*.

De antiquis in Šuica ecclesiis, nihil ferme accepimus traditum: Sepulchra autem magnatum habet in diversis locis: sed unum solum, in plano magnificentum; dicitur esse Mariani, ex sorore filii, Michaelis Tomić, famosissimi turcarum insectatoris; comite etiam Mariano.

STATUS ANIMARUM  
CAPELLANIAE ŠUICA.



V. P. Paschalis Radoš Cap. Loc.

FILIALES	P A G I	Domus	Animae	Dist. hor.
	Šuica M.	28	250	0
	Bogdašić	44	408	412
	Malovan	3	28	3
	Rilić	4	48	3
	Šarampov	30	224	414
	Baljći	3	23	212
	Galićić	7	425	411
	7	86	773	8

Longitudo hujus Capellaniae est horarum trium;  
unius vero latitudo. Coemeteria catholicorum 7; de qui-  
bus tria tantum sepes, et sacella habent.

Turcarum domus intra fines hujus Capellaniae  
circiter sunt 45. Schisniaticorum 43.



## XIII.

## PAROCHIA GRABOVICA

## IN BUŠKO BLATO

S A N C T I S S I M A E   A S S U M P T I O N I S.



Haec Capellania Parochiae *Vidoši* partem faciebat usque ad annum 1828: a quo tempore etiam formarum libros habet. Ab initio domus Capellani in eodem Pago Grabovica sub *gomila* erat: actualis autem (lignaeis muris constans) tum cisterna, atque pro vinocellariis fornix, populo auxilium dante, a P. Joanne Iveks constructa fuit. Habet sibi novitus adjunctam ecclesiam supra fornicem, longam brachia 27, latam, 12, quae populi succursu, ac Patr. Thomae Jurić solertia aedificata est.

Grabovica ad suos pedes habet planitem, tam pulchram et magnificam, ut consimilem vix ullibi invenias: cuius protensio usque in *Kraina* perlungit. Fruumentis, et maxime foeno abundat. Planities laudata, et si continua usque Kraina, in diversis tamen locis diversas quoque nomenclationes recipit; sub Grabovica autem *Buško blato* vocatur. Hanc perhibent, planitiei partem lacum fuisse perpetuum, quoisque regina quedam magnum non curavisset aggerem fieri, a media nocte ad meridiem, tribus continuis horis. Septem brachia latitudinis agger habet, — Kraljičina prispa — (reginae fagger) prohibetque de sub Livno aquis in *Buško blato* ingressum. In toto magno plano vel unum exiguum colliculum frustra desiderares. Ejus inclinatio est ab occasu, ac media nocte, meridiem versus; verum admodum levis; atque ideo saepius aliqua pars aquarum in plano etiam aestivo tempore persistit. Praeter circumstantes monticulos, torrens vehementissimus *Ričina*, de Duvno aquas demittens, *Buško blato*

maxime replet. Anno 1847. *Buško blato* hiemali tempore redundabat aquis, cumque superveniente nimio frigore congelavissent, geluque nivibus conispergeretur nos ibamus, etiam inequitando, de una ad aliam oppositam partem, per medium, ceu parvi maris.

*Prisoje*, in *Maljevine*, rudera extant ecclesiae ss. mae Assumptionis: et supra *Grabovica* S. Marci Ev. Kazaginac ad 50 brachia quaedam magnifica extenduntur rudera, dicta vulgo *Han*; sub quibus ruderibus sunt continui fornices, supra basque plurima plebis sepulchra.

In *Grabovica* penes aquas *Mukižnica* arcis rudera: item in *Korita*; et demum in *Renjići*, extant. Hoc in ultimo pago etiam multa existunt nobilia sepulchra; et in quibusdam incisiones manifestant, paranimphos ibidem ecedisse, occasione traductionis sponsae. *Korita* atque *Prisoje* nobilium numerant sepulchra; et in hoc postremo est locus ruderum turcicae moschae. Catholicum coemeterium in *Korita* vocatur *Nakića*, ob nobilem virum *Nakić*, cuius ibidem distinguitur sepulchrum.

In *Grabovicensibus finibus*, ad pagum *Brišnik gorjji*, est vallis plani fundi areae instar, exactissime rotunda, undique ab intus planis specubus, ceu comiplanato muro, ad decem altitudinis brachia circumvalata; ita ut qui deorsum esset, sine scala minime rerum ascendere posset. Istam in vallem, nostra aetate nequissimus turca Ponjavić, latronum caput, viatores et mortuos, et vivos projiciebat: uti etiam nunc eorum per vallem dispersa ossa testantur. Hinc ad parvam orientalem distantiam, est unum insigne *Antrum*, (*Grabovička pećina*) ad triginta altitudinis brachia habens; vacuitatis vero plusquam pro 3000 capiendarum avium. Silva etiam immensa calcarium stilicidiorum, desuper pendentium haud parum est stupenda.

Conterminat *Grabovica* Parochia ab ortu cum Raškopolje; cum Studenci a meridie: ab occidente cum

Livno: et cum Županjac a septentrione. Pagus Dobrić ad ortum est a matrice: Korita = Bukova gora = Kazaginac = Renjići = Rašeljka = ad meridiem: Liskovača ad occidentem: Prisoje = Podprivala = Vrilo ad boream.

STATUS ANIMARUM  
PAROCHIAE GRABOVICA.

V. P. THOMAS JURIĆ Parochus.



	Dom.	Anim.	hor.
Grabovica Mat,	31	242	
Dobrići	33	265	413
Korita	13	138	413
Bukova gora	12	130	4
Kazaginac	12	129	2
Renjići	8	72	4 413
Rašeljka	11	86	4 413
Liškovača	8	94	2
Prisaje	57	489	4
Pod privala	10	58	4 413
Vrilo	19	160	4 212
<hr/>	44	244	4382
			43

Longitudo hujus Parochiae, a Vrilo, in Kazaginac, est horarum trium, cum dimidio: latitudo, a Grabovica in Liskovaca, horarum duarum.

Coemeteria Catholica septa, suaque habentia sacella, sunt *quinque*. Nullam turcicam habemus familiam fixam in hac Parochia: Schismaticas veor 5.



## XIV.

## PAROCHIA ROŠKOPOLJE

## S. JOANNIS BAPTISTAE.



Est de antiquissimis in Herzegovina parochiis : ast ob combustionem antiquae domus, protocolla non habet nisi ab anno 1773. Haec Parochia, (quemadmodum protocolla testantur) insignis religiosae virtutis habuit Parochum P. *Simonem Pilipović a Seona*, districtus *Gradačka* in Bosnia.

Is ante annum 1770, in conventu Franciscanico *Sutinska*, in Bosna, Seraphicam Religionem professus ; studiisque praelaudabiliter in Italia absolutis; *tres* de viginti annos, (Litterae Circulares Ad. R. Patris Augustini a Vares, Ministri Provincialis Bosnae Argentinae: diei 6 Septembris 1802) divino ardens zelo, in Missione postquam serviisset ; identidem, de superiorum venia in Italiam se contulit, vitam cum Christo absconditam ducere cupiens, anno 1778. in Recollectionis Conventum S. Mariae Magdalene *Ripatrasani* convolavit : in quo quum omnibus singulari splendore virtutum, viginti continuis annis praeluceret, die 9 Maii 1802 sanctorum opetiit mortem, in eodem asceterio. (Litterae P. Guardiani *Loci*, Egidii a Colle S. Viti, ad P. Provincialem Bosnae 1802). Litterae nunc citatae, utpote, tot annorum testimonio innixae, quaeque ultimorum P. Simonis annorum vitae seriem continent, omni exceptione majores sunt: ac proinde nihil mirum, si dicti Patris a Seona Beatificationis Processus jam agi coepit.

Septuagesimo anno vitae suae, Religionis autem 50 P. Simon Pilipović a Seona, obiit: quem Deus faciat nostrum fieri protectorum in Coelis !

*Roškopolje* parvam habet planitem, sed amoenam; et etiam fertilem.



Tres habet egregiae aquae fontes — *Lepuv*, — *Močila*, *Vranjače*. Ab ortu mons *Zavelim*, multorum dictatus fontium capia, praeclarisque pascuis ferax, assidet.

Confinia hujus Parochiae ab oriente sunt cum Pošušje; cum Studenci a meridie; cum Aržano ab occidente; et ab aquilone Seonica, cum Buškoblato. Actualis domus, solida, aedificata fuit circa annum 1828: ab Admodum Rendo: Dno: Thaddaeo Čalić. Duas ecclesias haec Parochia habet; in Roškopolje unam longam 16. brachia, latam 8. alteram in pago *Vinica*: utramque anno 1858, populo adjutore, commendabilis sollicitudo aedificavit P. Petri Kordić.

Penes illam Roškopolje etiam campana occurrit; procurata a laudato, eodem anno: quae licet magna non sit, est quidem *prima* de restitutis in Hercegovinam; tumque temporis magnam videbatur *turcis* molestiam sua pulsatione causare . . . . .

Prope montem Zavelim antiqua erat ecclesia S. Joannis — et ab hac ad meridiem arx eminebat. Sub pago vero *Hambar* moscheae rudera existunt, ubi perhibent prius S. Eliae ecclesiam fuisse. Hic prope etiam duae fuerant arces; una de iis *Mošnjača* dicta.

*Vinica*, dictam novam ecclesiam habet, Nativitatis B. M. V. longam 17 brachia; latam 8. fontem insignem — *Vlašića česma* — et versus Aržano antrum, omnino bonis provisum aquis. possidet Sepulchra singularia in hac Parochia reperiri non mihi constat. *Hambar* ac *Radoši* sunt ad orientem pagi: *Krnjin*, ac *Vinica* ad austrum: alii autem ad boream.



STATUS ANIMARUM  
PAROCHIAE RAŠKOPOLJE.



V. P. Stephanus Naletilić Parochus.

P A G I	Domus	Anim.	Dist.
Raškopolje M.	30	369	0
Hambar	49	168	414
Radoši	4	42	412
Vojkovići	23	194	4
Zaljuće	8	72	412
Krnjin	8	62	414
Vinica	90	795	3
7	182	1699	7

Longitudo Parochiae hor. 4: latitudo autem hor. 4.  
Coemeteria Catholica, septa, suasque habentia capellas sunt tria. Turcarum familia nulla est: Schismatiorum vero sola 4.



XV.

PAROCHIA POŠUŠJE  
IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. M. VIRGINIS.



Etsi determinare non valeamus praecisum tempus; Parochiam tamen Pošušje de antiquioribus esse, certo nobis traditum est. Priscos hujus Parochiae Parochos,

diutius in abditis silvis supra *Batin* habitavisse, idipsum rudera, tumque Cisterna, dicta *Fratrium*, testificantur. Postea vero miseram domunculam stramine tectam in *Osoje* Parochos habuisse, recens recordatio est. Domus porro, solida, duobus constans planis, in qua actu Parochi morantur, in Jukića mahla, anno 1822: aedificata fuit a P. Hieronymo Maroević; populo sibi egregiam operam praebente. Protocolla existentia in hac domo, sunt ab anno 1736.

Pošušje, (dissicatum) multa, et consueta exhibet signa, quod quondam magnis innundationibus pateret. Et reipsa; nisi Živcus quartus, supra *Vir* ad *Ričice*, rupes discindi curavisset, etiamnum Pošušje magna ex parte sub aquis esset. Planities Pošušje quatuor horas, cum diuidio longitudine durat; unam vero horam latitudine: et ab ortu ad occasum ferme insensibilem in clineationem habet. Topala, potius = Topila (facilis successu, principalis est torrens planitiem totam, ab una ad aliam longitudinalem extremitatem, fere per medium frequenter irrigans. Brina, ac Ričina, etiam torrentes sunt; ex borealibus monticulis, ad planum non sine notabili noxa, praecipitantes. A colle orientali *Vranić*, per continuam jubam *Radovan* collis, planities Pošušje ab aquilone ad Žavelim usque cingitur: a meridie autem depresso a colle *Gorička strana* septum est.

Planum Pošušje, multiformibus colliculis, ac silvulis donatum, valde amoenum se exhibit: ast ob fluminum irriguorum parentiam, incertae fecunditatis est. Fontes quidem plures habet; sed accidente siccitate protracta, minus sufficietes. Ubique sub alveo Topala, ad exiguum profunditatem est habere aquam vivam; et habitatores aliqui vix tandem sapere coeperunt, effossis hinc inde puteis, aestivis necessitatibus.

De antiquis in Pošušje ecclesiis tres tantum certo commemorantur: Gradae, ignoti titularis, = Rastovača = *Crkvina* S. Antonii Abbatis = Ričina = Beatae

Mariae Virginis — Assumptae. In *Gradac* ecclesiae campanas ferunt circa 80. annos pridem inventas, schismaticis sub Imoski venditas occulte fuisse. Ibidem supra ecclesiae locum praemagnifica arcis rudera copiosissima extant; et lapides elegantis scissionis. Numismata, arma, et alia plura antiqua, hic loci saepius eruuntur.

*Tria* in *Gradac* sunt nobilium magna, ac singulariter magnifica coemeteria.

Batin (locum internum significans, lingua arabica) famosum suo de nomine puteum habet, ad viginti cubitorum profunditatis, excisum ferme ex integro, in molliis lapidis visceribus. Potentum sepulchra duobus in locis numerat.

In *Osoje* ad antiquae domus Parochi locum, *cerasa*, *prunaque* non ignobilia procreantur, a Religiosis alioquin ibidem implantatae arbores: quod est firmissimo argumento; etiam in aliis de Pošušje locis idipsum fieri posse, dummodo incolae laboriosorum Patrum vestigia praemerent. In hoc argumento etiam ultro confirmamur; in Čitluk, ad torrentem Ričina, si etiam num antioquae vineae cespites observare placuerit: quin et contiguus pagus *Vinjani* (vina producens) an putas quod de procreatione vini, minus recte vocatur?

Prope locum antiquae ecclesiae, et praecise ad torrentis ripam, sunt aliquot nobilium, vere nobilia mausolea: et ad parvam borealem distantiam, in medio regiae viae, est perennis fons, dictus -- Šesma -- eujus aquae, laudabili opera P. Eliae Skoko, ad unam scaturigenum compositae sunt. *Vir*, *gurges*: et dum innundaretur Pošušje, vere *gurges* debuit esse) singularis faecunditatis pagus: pluribus in locis nobilium sepulchra, rarae magnificentiae habens: ac in situ -- Glavica -- arcis praegrandis rudera copiosissima, cum quibusdam adhuc integris, arcubus videns admiratur. Sunt hic etiam turcarum moscheae rudera, aliquotque eorumdem ignobilia sepulehra.

*Zagorje* (Postsilvalis locus) faecunditate commendabilis: duo antiqua fortalitia habebat; in quorum ruderibus antiquaria frequentius occurunt.

*Jukića mahla*, in colle *Radovan*, magna arx, multaque civilia aedificia locum obtinebant.

*Raštovača* (quercinetum) quinque in locis splendidae magnificentiae nobilium sepulchra recenset: et in *Iovovik* fortalitium, in rudus effectum. In *Sobač*, ac *Stareopolje* nobilium sepulchra, hocve in postremo colossalis rudera arcis; in qua antiquae monetae, anuli, armaque subinde adinveniuntur.

*Vučipolje* (campus lupi) in *Muslića klanac*, est fortalitium in ruderibus; duoque antiqua nobilium coemeteria; nec non carbones fossiles, binis in locis. In *studena vrla* (fontes frigidi) reliquiae extant antiquae laterum *Fabricae*.

Conterminat Parochia haec ab oriente cum Širokibrig = cum Gorica = Medvidovići = a meridie; cum Ričice ab occasu; et cum Rakitno ac Raškopolje, et Seonica, a media nocte.

Quoad pagos, Residentia sic se habet: ad orientem Rastovača, = Broćanacque adstant: ad meridionalem directionem = Gradac — Batin = Osoje: = Čitluk = Vir = Zagorje occidentem capiunt: Tribistovo = Sobač, ab aquilone adstant. In Pošušje, praeter singularem diligentiam P. Eliae Skoko Parochi, quoad sacram tum domi, tumque in singulis pagis suppellectilem; is etiam anno mox elapso, totam domus possessionem solido circumcinxit muro; brachiorum --1600. Ibi quoque materialia, pro nova proxime struenda ecclesia copta sunt praeparari: pridem a P. Elia Skoko facta est cisterna ibidem.

## STATUS ANIMARUM PAROCHIAE POŠUŠJE.

R. P. Philippus Čutura Discretus Custodiac, Parochus

R. P. Elias Zelenika, ex Discretus Custodiae, Norma-  
lium Professor  
V. P. Georgius Jurić Socius Parochi.

F I L I A L E S

P A G I	Dotus	Anim.	Dist.
Jukića mahla Res.	46	304	0
Raštovača	88	624	4
Bročanac	56	537	2
Gradac	70	467	3
Batin	35	354	4
Osoje	42	322	2 2
Čitluk	52	364	4 2
Vinjani	50	374	4
Vir	60	406	3
Zagorje	35	220	3
40	554	3966	45

Catholiceorum Coemeteria, in hac Parochia, septa,  
suumqne habentia sacellum sunt 40: et Religio est tan-  
tum Catholica.

Longa Parochia est a Zagorje in Gradac horas  
7: lata a Residentia in Batin horam 4.

## XVI.

### P A R O C H I A   G O R I C A

S. Stephani Protomar:



Sub titulo capellaniae Localis avulsa a sua Matrice  
Pošušje 1834: a quo tempore etiam libros matriculares  
habet. Angustus fundus pro hac domo parochiali datus

fuit a Catholica Familia Krnjić: domuncula autem palaeis tecta, et muro minime cementato, aedificata fuit a P. Stephano Karlović, de Kreševo. Dictam domum ruinam minantem, auctualis deserens Parochus, ad ecclesiam in Confraternitatis parva domo habitans, possibilitatem expectat, ut ipsi conveniens extruatur domus.

Gorica mitissimo gaudens climate, est ad apricas extremitates magnae planicie; quae a Proložac usque *Baran*, per sex horas longitudinis; ad semialteram autem latitudinis horam protenditur. Habet porro iste magnus campus tum a naturali pinguedine terrae, tumque ab aquis de hieme innundantibus, feracitatem grandem; majorem quoque habiturus, ubi flumine *Vrljika* (alias Radava) circumducto aestivis irrigationibus donaretur. Duos lacus, *Proložko jezero*, ac *krenica* prae-laudatum habet planum: flumen unicum *Vrljka*: fontes autem plures, hinc inde consitos: quae omnia simul supta, planum Gorica amoenissimum reddunt.

Quatuor pagos habet Parochia Gorica; unum suo de nomine ad occidem = Soviči = atque = Grude, ad ortum: et Dubrava = ad meridiem. — Gorica = Soviči = Grude = sub continuato colle strana, ad borealem plani extremitatem sternuntur: *Dubrava* (nemus) est in medio plani, in loco ubi, etiam mea memoria, summae celsitudinis, ac grossitie silvae erant: nunc autem, ob indiscretissimas excisiones, tumque succensiones, nihil de silvis est; quae aeconomica ad ministratae manu, medietati missionis nostrae sufficere patuissent. Nil igitur mirum, si Parochia Gorica summa lignorum penuria conficitur; et etiam ex terreno *Dubrava*, procreandis frugibus ineptissimo, si minus excipit frumenti, pariter mirum non est: actiones enim non bonas, alioquin sequitur poena.

Conterminat porro Gorica: ab ortu cum Grude, ad Ružići pertinens = a meridie etiam cum *Ružići*, atque *Runovići*: ab occasu cum *Medvidovići*: et ab aquilone cum *Pošušje*.

*Gorica (silvula) arcis rudera habet: et in antiquo coemeterio penes ecclesiam, plusquam bis centum magnatum sepulchra habebat: quorum magni lapides, ferme omnes, novae ibidem aedificatae ecclesiae muro inserti sunt. Ad partem borealem adjacentem coemeterio fuerat quondam magnum oppidum: in cuius ruderibus unum *balneum*, ex diversi coloris lapillis, affabre resectis (mosaico) circumstratum inveni 1856. Etiam in medio magni coemeterii, Gorica antiquae S. Stephani ecclesiae rudera diu illachrymata est; vivacissimam conservans erga sacrum locum devotionem. Ex dissitis quoque locis, ad exsolvenda pietatis vota, disjectos sacros lapides osculaturi convolabant; ruderaque circum circa genibus nudis obibant.*

Loci igitur, universalis ac viva veneratio vigebat; cui politicae circumstantiae tandem faventes, anni 1856 novam S. Stephani ecclesiam incipere datum fuit. Ego ipse, qui per *triennium* hujus ecclesiae aedificationi praefui, minus vero exponere possem, quo ardore goricensis populus concurrebat, ut quocuyus perfectam ecclesiam viderent.

Et quum multa strenui populi hic contexere denegetur, hoc vel unicum excipies.

Ad finem anni 1858 ecclesia in omnibus, *stratu* excepto, terminata erat. Sed tabulas lapideas nisi de *Osoje* in Pošušje; ad duas cum dimidio horas, pessimae, ac praeruptae viae, habere impossibile erat. Quid igitur? singula persona ubi genuflectat in ecclesia, lapideam tabulam procurare debebat; prout et revera procurarunt; laeti, in humeris ac dorso, tum masculi, tum feminae *centum quadraginta*, et usque *sexaginta libras* ponderis ferentes. Ex tali facto, collige, quid de aliis populi adlaborationibus concludas. Utinam vel mediatem goricensium fervoris ubique reperire fas esset, certe sub arboribus etiamnum celebrare non adigemur. Interim antiqua ecclesia, semel, atque iterum per franciscanos reaedificata, parvula erat; puta 15. bra-

chiorum longitudinis, cum circulari capella altaris majoris, fornice armata. Nova vero ecclesia est longa 38: 18. lata: et capellam altaris, nunc angulatam, pariter sub abside habet. Decem fenestras ista habet ecclesia.

Altare unicum majus terminatum, habens quoque magnam S. Stephani statuam: item duo pro altaribus assignata loca, etiamnum perfici expectant. Huic ecclesiae 1866 (me exorante) clarissimus Dominus Joannes Francović de Flumine (Rieka) magnificas Viae Crucis immagines, Venetiis apposite expictas, generosus transmisit. Decori ecclesiae, atque vel aliquae reparationis sustentationi, etiam Confraternitatem, suos habentem articulos, vexillum atque cappas, constituere adlaboravi: ipsa vero Confraternitas proprio aere, ac fatigio, etiam domum Confraternitatis prope ecclesiam tunc temporis construxit.

Inter pauperrimum goricensem populum, si quaebras: ecclesia sat vasta, quibus mediis aedificata fuerit; primum pro responso habeas: Franciscum Josephum, Austriae Imperatorem munificentissimum, ad humiles Coaefficatoris preces 1500. submisisse Florenos: reliquam vero haud parvam summam, scias integrum a multis particularibus benefactoribus porrectam fuisse: quemadmodum et pro campana; quam P. Petrus Kordić anno 1850 procuravit.

Post terminationem ecclesiae, circa eamdem, populus ipse propriis impensis, ut et ecclesiae, et suorum corporibus humatis consulerent, magnum. muro cementato, cinixerant coemeterium, quadratum; habens 600. brachia circuitus.

Expositione, pulchritudine, et collocatione, frustra alibi consimile coemeterium quereres. Prope coemeterium a meridie, sunt famosissimi Fontes *Stûble*.

Sovići in *Krstina* habebat parvam arcem: nobilium vero sepulchra pluribus in locis numerat. Sub *Vlašići*, ad puteum ex meridie, laterum fabrica quondam fuit; et in *Bobanova draga* plurium magnorum aedificiorum rudera existunt. Fontes *Soviéke Stûble* etiam excellunt.

STATUS ANIMARUM  
PAROCHIAE GORICA  
V. P. MARCUS HERZEG Parochus.



FILIALES	P A G I	Domus	Animae	Dist. hor.
		—	—	—
	Gorica Matrix	53	327	
	Sovići	134	996	212
	Grude	62	468	414
	Dubrava	9	76	121
	4	254	1867	7

Longitudo hujus Parochiae ex Gorica in Grude *Cerre*, est horarum 3: cum dimidio: latitudo autem a Soviči in Dubrava horae unius. Coemeteria Catholica septa, et habentia capellas, excepta Gorica, sunt 3. In hac Parochia Schismatici desunt; turcarum vero familiæ habitantes sunt 2.

PAROCHIA RUŽICI.

S. JOANNIS BAPTISTAE.



*Ružići* Parochiam, de antiquissimis esse in Hercegovina, tum historiae fragmenta, tumque traditio docent: sed quoad protocolla ejusdem, etiam hic nefasto subdividur casui, scilicet, infra annum 1778: matriculares non habendi. Praeter actualem in Ružići commorationem Parochorum; in tribus aliis Parochiae locis eosdem, ubi plus, ubi minus habitavisse, constans traditio est: scilicet, in aspero, et abdito colle *Malié*; (in quo cister-

nam de suo nomine reliquerunt) in *Police*, et in *Drinovci*. Verum de Police ferunt, non solum fuisse Parochi domum, sed etiam parvum Franciscanorum Conventum, dictum hodie quoque locum = Fratarski Manastir = fratrum Monasterium. Quoad *Drinovci* in collis extremitate ad planum, sacerdotalis domus, tumque ecclesia S. Lucae perhibentur fuisse. Multa ibidem solidorum aedificiorum capiosa extant rudera: inter quae in fornice quodam, medio retro saeculo, incola quidam, in solida cista, totum sacrum sacerdotalem apparatum detegens, occulte in Imoski, cuidam saeculari, levissimo vendidit pretio. Verum venditor ille, tumque sua familia, postquam continuis partialibus flagellis multos per annos exagitaretur, opinatus de *sacrilegio* id fieri, P. *Marianum Miletic*, tunc temporis Parochum, consuluit; a quo, quuni plura sacra pro defunctis solvendi bonus suscepisset, et exequeretur; flagella quoque in illa familia desierant, ad tempus: attamen de illa familia Herkapić hodie nullus est. Antiquae domus in Ružići (etiam num pro culina deserviens) muros quidem cum cemento habet, ast tectum ex stramine: actualis solida domus, anno 1836. a P. Bonaventura Kraljević aedicata fuit: est ad duos tractus: et interne, anno 1854 a P. Philippo Čorić laudabilissimo modo disposita fuit; cui idem etiam *vineam* tum novitus aquisivit. Est domi nova cisterna, solertia P. Andreae Šaravanja 1858. aedicata: Stabulum quoque ac faenile magnum et solidum, 1859 P. Petri Bakula cura consurrexit: horrum autem a P. Šaravanja jam coeptum, P. Philippus Čutura 1864. solida structione complevit.

Quod vero positionem, non solum pagi Ružići, sed omnium etiam aliorum Parochiam hanc constituentes spectat, valde aspera loca occupant: atque ideo de amoenitate hujus Parochiae, nihil fere est quod referam: ast faecunditate, signanter in tabachi procreatione, famosisima est inter omnes.

*Drinovci* tribus in locis fortalitiorum rudera habet; in pluribus autem magnatum sepulchra.

Adstat *Lacui Krenica*, qui singularibus piscibus abundantissimus est : tanto enim adipis ejus pisces continent, ut comodissime et torrei et assari possunt sola sua pinguedine praeconditi. Aliquando contingit, hoc in lacu magna ceu tonitrua fieri ; postque protractum obscurum mugitum, piscium mortuorum tantam multitudinem innatare, ut revera horreat homo : quod facile explicatu haud videtur ; quidquid de vulcanicis exhalationibus fiat.

Hoc in pago, propter multas rationes, anno 1865: ex *collectis* fundus emptus est, florenis 77 futurae ibidem Capellani Localis domui aedificandae deserviturus.

*Blaževiči*, arcis rudera, atque multa, ac magnifica nobilium sepulchra numerat.

*Dragićina*, duas quondam magnificas arces habebat; S. Marci ecclesiam : sepulchra autem potentum plura recenset.

*Tihaljina*, flumen de nomine habens, item *Jakšenica*, ac *Nezdravica*, unum insigne habebat fortalitium ; ecclesiam S. Eliae Prophetae (cujus etiam hodie muri sat eminent;) multoque magnifica magnatum admirantur sepulchra : item reliquias antiquae Romano-rum viae, quae Naronam ducebat. In Tihaljina adsunt quidem multa molendina majoris ponderis ; ast stante aquarum copia, et loci opportunitate, plurimae ibidem perutiles macchinae sagaces condere possent.

Supra fontem Tihaljina, versus *Ploci*, est magnum, atque famosum antrum, facilis accessus ; quod plura millia ovium tegere posset. Ferri metalla, et carbonum fossilium Tihaljina possidet ; item pro apibus singulare pabulum.

*Ploci* (solearum locus) lapideas tabulas excellentes domibus tegendis porrigit. Sub hoc pago ad fundum magni plani est principalis aquarum vorago, *Jama* : a nostratisbus, ac austriacis, aliquot retro annis, ampliori haustu donata ; verum, nondum sufficienti ; ut tempestive campus ab aquis liberetur.

*In Ružići et Vlake plures horrendae voragini dantur: quae quidem depraessis in planicie Gorica aquis, aquas enormiter absumunt; ast elevatis in plano aquis, ex dictis voraginibus etiam cum impetu regurgitare solent. Singulares sunt in Ružici *specus Kamenice*; qui aut nulla, aut parva adhibita opera, pro puteis ac cisternis egregie deserviunt. Egregiam pro muro arenam fossilem Ružići offert: item ferri metalla.*

Pagi hanc Parochiam constituentes sic se habent, quoad Residentiam, sat bene meditullium tenentem: Ab ortu = Vlake = Boraina = Cerovid = Pogona Vlaka = a meridie Tihaljina = Zaside = Brdo = ab occasu: Sebišina = Ploci = Bovani = Drinovec = Kongora = Blaževići = ab aquilone = Alagovac = Krištelica = Grude = Višnjica = Dragičina. — Contaminat autem haec Parochia: ab ortu cum Veljaci = Čerinque = a meridie cum Slivno = cum Runovići, ac Gorica ab occasu, et cum Širokibrig a borea.



### STATUS ANIMARUM

### P A R O C H I A E R U Ž I Ć I



V. P. Marianus Zovko Parochus.

V. P. Laurentius Sesar Soc. Par.

F I L I A L E S	P A G I	Domus	Anim.	Dist.
	Ružići Res.	58	434	0
	Police	44	405	311
	Seline	26	480	311
	Tihaljina	413	864	2
	Zaside	7	46	3

## F I L I A L E S

P A G I	Domus	Anim.	Dist.
Brdo	18	146	3 2 1
Sebišina	11	52	3 2 1
Ploči	14	122	2 2 1
Bovani	12	101	2
Drinovci	92	662	2 2 1
Kongora	1	5	2
Blaževići	9	83	1 2 1
Alagovac	17	125	1 2 1
Krištelica	4	28	1 2 1
Grude poljem	21	139	1 2 1
Grude brdom	23	223	3
Višnjica	22	133	2 2 1
Dragičina	43	269	1 2 1
Pogana Vlaka	24	162	1
Cerovidò	4	30	1 2 1
Boraina	6	39	2
Vlake	4	37	2 2 1
	22	550	3997
			42

Longitudo hujus Parochiae a *Sebišina* in *Vlake* est horarum 6, latitudo a *Grude brdom*, in *Zaside* est pariter horarum 6.

Coemeteria catholica, septa, suaque habentia sacella in ista Parochia, sunt 42: Familia turcica, aut schismatica nulla datur intra fines hujus Parochiae.



## XVIII.

## PAROCHIA VELJACI

## S. Eliae Prophetae.



Parochia haec, priscis temporibus, sub nomine Parochiae *Ljubuški*, vel *Ljubuška*, denominabatur: et est de antiquissimis in Herzegovina.

Verum post eversionem Conventus nostri in Ljubuški, quantum scire possumus, Parochi (nunc de Veljaci) primum in *Vojnići* habitabant, quorum domus igni combusta, fornicem, hodie quoque conspiciendum reliquit. Hinc Parochi in *Sipovača*, turcico occupato fundo, aliquot annis, dominorum molestias tolerarunt.

Tandem circa annum 1837 P. Michael Rozić, populo plurimum juvante, actuali in Veljaci fundo empto; ibidem excitavit domum, paleis tectam (hodiernum stabulum) in cuius una parte sacerdotes, in alia autem altare, ac domui necessaria stabant. Tandem etiam ista molestia domus rusticae aliquando liberari convenienbat; quod et perfectum fuit a P. Philippo Ančić: qui populo egregie juvante, actualem solidam domum 1846: solers aedificavit: in qua praeter Oratorium, sunt sex commoda cubilia. Libri Formarum hujus Parochiae pertingunt usque ad annum 1785.

Eius pagi orientem versus, sunt: = Vitina = Proboj = Grabovnik = Vašarovići = Otok = ad meridiem = Šipovača = Occidentem versus — Vojnići = Dole: et ad aquilonem: Klobuk = Šiljevišta. = Confinat autem ab ortu, cum Humac = a meridie cum *Orā*; cum = Zavojane et Ružići = ab occidente: et a media nocte cum Širokibrig, atque Čerin.

Haec domus parochialis, atque altera in Humac, sat magnam, et egregiam planitatem intra se habent. A *Klobuk* ad Široka usque planum hoc quatuor horas lon-

gitudinis abunde habet: latitudinis vero a *Radiséiéi* in *Banja* sub *Vergorac*, pariter horas quatuor. Tihaljina atque *Vriošnica*, sunt flumina, planitiem istam egregie irrigantia.

Nullam nostra in Missione planitiem sine meritis collaudavi: hanc autem dictam *Ljubško polje*, vel *Podljubuški*; jure ac merito debeo multis numeris omnibus aliis anteponere.

Hic tria illa concurrunt, quae sola solum vere faecundum facere queunt: *terrae pringuedo*; aquarum constans *irrigatio*; et clima *mitissimum*: omnis etiam angulus plani hujus, aut jam abundantissime producit; aut sane, adhuc extensa aquarum deductione (facillima) producere posset. Hinc qui principali loco *Ljubuški* nomen indidit, optime rem expressit; scilicet: *Amabilis locus*. Et vere etiam *amabilissimus*, rectissime diceretur, sive ejus feracitatem sive amoenitatem campi consideremus.

Et ut etiam melius hujus aequoris campi aestimum percipias; itidem tibi in memoriani reducam: nos in Hercegovina, maxime ob siccitatem, frequentes annonae penurias pati: ast sub *Ljubuški* campus, cum ardoribus veluti strenuus athleta, vel tunc maxime contendit, quum illi summas exerunt vires; ut idem quo acrius urgeant, iste multo abundantius pabula proferat.

Norunt bene hercegovinenses, neque unquam oblitterabunt anni, quam saepe misera conficerentur fame, planities ista antequam palustribus non liberaretur silvis; et antequam rivi non pervaderent glebas; et norunt pariter quantis postea potiti sunt utilitatibus. Verum ne penitus maneat irrecordatum summae utilitatis opus, haec paucis habe.

Flumen *Mlade* (*Novae*) dictum, cum non multo pridem, post terraemotum ex magna scaturigine *de novo* prosiliisset, totam pretiosam planitiem, perennibus innundabat aquis; in quibus palustres ignobiles herbae, ac silvae crescentes, vix tenuissimam incolis porrigeant u-

tilitatem, penes etiam aerem corruptissimum. En igitur ferme haesterna die, quid Subljubuški erat !!! *locus stagnantium*, et *putridarum aquarum*; immensam *culicium* multitudinem procreantium: hoc Ljubuški erat. Sed faxit Deus Optimus, optima quaeque illi, quo auctore ab aerumnis liberati, tot, tantisque repleti sumus bonis! Anno 1833 Augustissimus Austriae Imperator, suorum sub Vergorac in plano utilitati prospicere volens, rem cum *Sultano* condictam, exequi constantissime curat: alvei, nempe, *Mlade* effossonem, ejusque aggerationem. Et utinam turcae permississent Imperatorem plene suis in hoc labore intentis potiri! Interim dicta epocha, effossio, atque aggeratio, ad duas horas cum dimidio, factae fuere.

Idem tardius in *Blatca* = *Rastnik* executioni datum, ad 360. brachia; planum tandem ab aquis liberatum, arationi cessit; et diu expectato, magno juvamini. Post praelaudatum beneficium, est commemoranda etiam *Orizae* inseminatio, hoc in solo plano ab Alipaša Rizvanbegović coepta 1844: quae non levi utilitate continuatur. Tandem anno 1866. novus de *Mlade* ductus aquae *Rastok* irrigans, laudem utique promeretur. Itaque haec sola plenities est, quae coloni etiam minores sudores ampla recompensat ubertate. Planitiem de qua agimus, jam dixi ipsam inter duas nostras domus parochiales = *Veljaci*, ac *Humac* = reperiri; primam sumitatem occidentalem: alteram vero ad orientalem longitudinalem: verum, nunc adiungo, confinia duarum dictarum Paraeciarum transverse planum per medium dividere; uberiore manente occidentali parte. Pars meridionalis longitudine minus ampla, austriaceae dominationi subest. Colliculis planum non caret; et etiam undique, medios res sibi adstant circum circa colles; ad quorum radices, communiter sunt habitantium domus.

Nunc aliquid speciatim de hujus Parochiae rebus.

*Mlade* ad novum lapideum magnum, ac pulchrum pontem, populi beneficentia factum 1865. erant anti-

qua rudera ecclesiae s. Eliae Prophetae: supra haec rudera 1863. P. Gregorius Skarić, populo i concurren- te, novae ecclesiae muros coepit: in longitudinem bra- chiorum 27. et 14. in latitudinem.

Hinc ultra Mlade, ad coemeterium *Vitina*, anti- qua erat ecclesia, S. Stephani Protom: honoribus aedi- ficata; de qua multa laborati etiam marmoris frusta adinveniuntur.

*Utvica* prope Vitina, ubi nunc plura conspiciuntur rudera, ferunt ibidem Monasterium cum ecclesia fuisse, titularis hodie ignoti. *Utvica*, est amarae recordationis pro Catholicis, utpote locus, in quo 1832 dum pro Capitanio de Ljubuški adacti, ac decepti dimicarent, et in conflictu a capitano proditorie, aut certe effemi- nate desererentur, multi in illa strage insontes perie- runt, per manus turcarum, Ali Paša Rizvanbegović cau- sam agentium .

*Klobuk*, (*pileus*; aut *bulla* consueta assurgere ni- mio eadente imbre) sic denominatus a sua figura, collis ex plano, alto assurgentis; et undique, velut foeni acer- vum recisi, et valde praecipitis. Singulare *Klobuk* hoc est ut multum elevatus, et cum nullo colle a se majori conjunctus, fontibus multis perennibus, etiam ad su- mitatem gaudeat. Inter asperas rupes collem istum ef- formantes, est quidem terra ubique argillosa; nihil saecius fontium ascensus non sic facilis explicatu est. In cacumine, aliquantis per complanato, collis hujus ecclesiae omnium Sanctorum rudera extant; cuius ma- jor ara adhuc integra conservatur.

*Grab* in *Kostenica*, *Juričovac*, quondam, *Mali veljaci*: ecclesiam S. Joannis Baptiste, atque mona- sterium fuisse certo tradunt: quemadmodum pecu- niā, atque ceram multam, circa haec rudera in ter- ram depositas fuisse. Et quoad ceram, in adjacentibus arvis aratores saepissime de illa, etiam majora frusta reporiisse, res probati facti est.

Hic loci etiam magnatum, ac populi antiqua se- pulchra plura extant.

*Borje*, atque *Gracina*, in-circulo *Klobuk* praemagnifica, atque multa nobilium sepulchra cernuntur: id ipsum in *Mlade*, prope S. Eliae ecclesiam: sic pariter in *Gorica* de *Veljaci*, et in *Velika Šipovača*.

*Arcis antiquae*, in tota hac Parochia unius tantum est recordatio in *Orahovlje*.



## STATUS ANIMARUM PAROCHIAE VELJACI



R. P. Antonius Duspara, Diseret. Custodiae Parochus.  
V. P. Paulus Petrović Soc. P.

P A G I F I L I A L E S	Domus	Anim.	Dist.
<i>Veljaci</i>	80	494	0
<i>Šipovača</i>	24	243	1
<i>Vojnići</i>	50	295	1 2 1
<i>Dole</i>	27	163	2 2 1
<i>Klobuk</i>	107	566	1
<i>Šiljevišta</i>	23	437	2
<i>Vitina</i>	120	695	1
<i>Proboj</i>	27	163	2
<i>Grabovnik</i>	34	278	1 2 1
<i>Vašarovići</i>	52	365	1 2 1
<i>Grab</i>	75	297	1
<i>Otok</i>	28	220	1
<b>42</b>	<b>645</b>	<b>4027</b>	<b>16</b>

Longitudo hujus Parochiae a *Šiljevišta* in *Proboj* est horarum 4: latitudo autem ubivis ad tres horas

Coemeteria Catholica in hac Parochia, suis, cum sacellis 7. In solo pago Vitina turcicæ domus, 27 : in Otok Zingarica una, Schismatici autem hic non existunt.



## XIX.

### PAROCHIA HUMAC

S. ANTONII PATAVINI



Avulsa a sua matrice Veljaci 1855 : a quo tempore etiam protocolla habet.

Conterminat ab ortu cum Gabela, atque Gradnići : a meridie cm Vid, atque Strugovi : ab occidente cum Veljaci : a media nocte cum Čerin, atque Širokibrig.

*Humac*, ab Oppido Ljubuški ad meridiem media distans hora, in colle modicum supra planum elevato, sub expansissimo orizonte, manet : decem minutis habens distantem profluentem *Mlade*. Terrenum ecclesiasticum in quo nunc domus est, procuratum fuit ab Illuss: Domno: Kraljević tunc Parocho in Veljaci 1850 — et domus supra antiquum fornicem, qui ibidem reperiebatur solide constructa fuit a P. Josepho Cigić, primi in Humac Parochi, circa annum 1858 : cui etiam populus laudabilissimo auxilio fuit. Dictus Pater antequam in domum se reciperet, multa incommoda vorare debuit. Est vero domus ista longa brachia 18 : lata 14 : quatuor cubilia habens; tertiam domus partem Oratorio occupante; et fornice pro vinocellarioru deseriente. Antiquiori domus fundo 1866 : alter adjectus est, florenis 1400. Collectionis pecunia emptus; scopo ibidem novum Cōnventum Studii, aut Seminarii excitandi; pro quo pariter ex Collectis multa materialia praeparata, fabricationi jam inceptae, et progredienti impenduntur. De climate universim sub Ljubuški do-

minante, jam superius innui; neque superest ni ut porrigam, in Humac auram etiam magis conducentem physicae sanitati, piae illa in Veljaci. Humac, et vicinias ejus, antiquis in aestimio fuisse, circumstantia magnifica rudera haesitare non sinunt. Sunt etenim duae lapidae tabulae, latinis exaratae litteris, hic prope, ultra flumen erutae; in quibus et si omnia ordine legere denegetur; illud tamen nitido colligere est; lapides illos Romanorum templo, *vetustate corrupto, columnis et porticibus adjectis a Romanis Consulibus restaurato*, positos fuisse. Lapides porro recensiti, nostrae domus frontispicio inserti sunt. Sed ibidem, in loco *Gradčine* (magnae arces) plurimi existunt lapides, perita manu elaborati; tum aggeres, aedificiorum divisiones, lateres imbrices atque tegulae magna in copia.

Pontis quoque pervetusti bases ibidem se offerunt; et Romanorum antiquae viae, etiam aliquos milliares lapides habentes, reliquiae passim occurunt. Itaque Humac, suis cum viciniis, etiani ab antiquis magni habitus fuit. De Veljaci quod tetigi, hic quoque retero: in istis duabus Parochiis, numismata, anulos, deorum simulacra, arma, et id genus, pluries, ac pluribus in locis inventa fuisse. Et ne oblivione tectum maneat; hoc quoque notare lubet: de nobis senioribus in Missionis negotio, nullum sane esse, qui vel aliqua antiquitatis exceptas, ad Conventum non miserit; quidam etiam plura frusta, laudabilissimae conservationis gratia. Quod notatum, illis in primis ingestum vellem, qui franciscanos, ceu inutile pondus terrae nihil nisi culinaria curare putant: sed nos ad subjectam Parochiam redeamus.

*Ljubuški*, oppidum; locus nedum hujus Parochiae capitalis, imo et totius Districtus *Mudiratus*: talis quoque a remotis temporibus videtur fuisse: eius quidem aetimologicam jam dedimus significationem; nunc autem, et *Parvam salonam*, *Ljubuški*, dictam fuisse commemo. Oppidum hoc, sub supercilio, ad medium horam, elevati collis apricum occupat declivium, sat ripidi a-

scensus. Ejus longitudinalis extensio ab ortu in occasum, semi horam itineris occupat; in latitudine autem neque quadrantem. Inter ejus dispersas domos nulla est quae aliquid elegantis praeseferat. Mercatorum levioris armaturae officinae plures equidem sunt; ast pro viatoribus nulla commoda offert.

Dolendum de ignavia turcarum habitantium, qui hoc in oppido vere splendescere possent, et non nisi universim in pauperie tabescunt.


